JOSEPHI EYEREL

COMMENTARIA

IN

MAXIMILIANI STOLLII

APHORISMOS

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS FEBRIBUS.

Morbis quoque quasdam leges natura posuit.

Plin. Hist. nat. L. VII.

TOMUS SEXTUS.

EIGENTHUM DER STADT AUGSBURG

VINDOBONÆ,
SUMPTIBUS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER.
1793.

PRAEFATIO.

Ultimum commentariorum volumen nunc in lucem prodit; index in omnia volumina proxime ſequitur. Scio multa, quin plurima deſiderari in hoc opere. Aliis enim ſubinde prolixior fuiſse videor, quam res expeteret; alii ſingulas aphoriſmorum doctrinas haud pro dignitate ſemper abſolutas eſſe judicarunt; plurimi tamen edita haec a me commentaria juniorum medicorum utilitati apprime inſervire cenſuerunt. Id etiam ſcio, inde quod in ipſo opere perficiendo, gravia eaque non praeviſa impedimenta auctorem obruerent, ommiſſorum, aut minus recte factorum, excuſationem haud juſtam peti poſſe; etſi fors *aliquam* humanus cenſor indulgeat. Ut enim in incepto eoque longo opere feliciter finias, multum perſaepe intereſt, in quae tempora,

ra, et in quos homines incideris: quorum illa, ſi publica ingeniorum ad res magnas incitamenta, ſi Maecenates, ſi civium de ſcientiarum, et artis imprimis medicae praeſtantia, opiniones intuearis, maxime ſterilia: hos vero etiam ſumme malevolos expertus ſum. De mutandis temporibus fruſtra conquerimur; ſequi oportet, quo fata trahunt. Quod autem hominum malignitatem attinet, non una mihi malorum cauſa exſtitit. Fuerunt, qui implacabile in optimum Praeceptorem odium, illo e vivis erepto, in me conjecerunt, quem facile potuerunt opprimere, utpote inſidiarum imperitum hominem, et inermem; nil enim deterius et probo viro indignius habui ſemper, quam aliter *loquendo*, aliter *agendo* hominibus fucum facere. Alii, cum auctoritate pollerent nulla, calumniis voluerunt id efficere, quod curta virium ſuppellex ipſis negaverat. Hinc non unum ab invidia argumentum effinxerunt,

runt, ut illos, qui meliores mihi fortunas potuissent comparare, infensissimos redderent. Odi certe servos hosce ineptarum muliercularum imitatores; nec magna exhinc emolumenta in eos redundare persuasum habeo, cum tales sint, ut neque nunc, nec unquam postea, bonorum virorum existimationem mereantur. Parvo interim amicorum numero contentus vivam. Quod autem privatam calamitatem summopere auxit, illud est: eos ipsos homines, quorum lucro inservire dira me coegit necessitas, animum scribentis non erigere, sed potius omni modo deprimere allaborarint- — —

Pergam nihilominus, cum inceptos meos labores eruditis haud omnino displicuisse sentiam, omne, quod mihi superi otium concesserint, perficiendis in *Stollii* doctrinam commentariis impendere; atque eam ob causam in novo protinus a me edendo opere Criticorum desideriis satisfacere conabor

Cum

Cum autem nesciam, an commentaria hucusque a me edita secundis unquam prelis committantur, et novis curis restaurata prodeant; id interim consilium cepi, ut haec mea commentariorum in *Stollii* pyretologiam supplementa, separatim sequenti titulo edantur:

COLLECTANEA CLINICA

STOLLII

PYRETOLOGIAM ILLUSTRANTIA

Cujus autem operis haec erit ratio, ut, quaecunque demum sint *Commentariorum* nunc editorum fata, *collectanea* cum commentariis ipsis nunquam in unum corpus coalescant. Ulteriorem hujus operis oeconomiam suo tempore eruditis exponam *).

*) In annalibus medicis (*medizinische Chronik*) a me proxime edendis.



CALOR FEBRILIS.

Calor frigus insequens, praecedens, intercurrens, vel et sine hoc prorumpens, saltem ab eodem non pendens, aut directus, nunc *verus*, nunc *sensu* aegroti solo percipiendus, universalis, partialis, internus, externus, seu *interdum nullus*, vix unquam 16 gradibus (Fahrenheit) naturalem superans, primum mitis, intersectus, mox auctus, siccus, deinde humidus, saepe mordax, digitosque urens.

Inter haec pulsus redduntur frequentiores, aequabiliores, liberaliores; interdum vero a naturalibus vix differunt, cum vibratione ad certas corporis partes, collum, tempora, loca inflammata, evidentiori, fortiori. Caput calet, dolet; memoria redit, sensusque interni acuuntur, saepius turbantur. Genae rubore intenso, oculi splendore nitent, fulgent; sitis augetur, vel et cum frigore imminuitur; respiratio velox; sed, nisi pectus locali malo obruatur, expedita; urinae flammeae, subrubrae, bruneae, crassae, mox turbidae, jumentosae; nausea, vomituritio continuat, augetur, vel saepe cum frigore cessat.

Causa caloris, tum *sani*, tum *morbosi*, pergit Ill. *Franckius a*) parum intellecta; effectus miri, explicatu difficiles, saepe contrarii. Ipse quidem calor *verus*, morbosus, ex augmento causarum, quae calorem verum producunt, vel ex respiratione aucta, ex reactione cordis, arteriarum, virium nervosarum, sub stadio frigoris, spasmi oppressarum, resurgente pendet: nunc simplex et purus, nunc igne *composito* inquinato deflagrans. Calor ad

sen-

sensum, nervosum systema a causis accidentalibus oppressum testatur, et ab acri contagioso, gastrico, exanthematico, specifico, purulento alio exoritur.

Effectus caloris animalis *sani*, *vitalis*, est fluiditas, circulatio, perfectio, secretio humorum, vasorum libertas, mobilitas; irritabilitatis, sensibilitatis cuivis parti propriae conservatio.

Effectus caloris *morbosi*, *simplicis*, seu puri, consistit in viscidae, tenacis materiae solutione, ad subeundum circulum dispositione, immutatione, vel ad futuras excretiones, suppurationes, metastases, crises, praeparatione, maturatione. Hinc febrium multarum intermittentium, acutarum, in solvendis obstructionibus benignis, morbis chronicis, virtus; tumoris immaturi, saxei, in mollem et fluctuantem abscessum, et materiae ad futuras depositiones, judicationes elaboratio, *coctio Veterum*. Calor diversus, mitior, intensus, brevis, longior, ad subigendas, praeparandas, maturandas, excernendas morbi materias requiritur; exemplo abscessuum, ulcerum, variolarum, morbillorum, dato tempore, calore incubandorum. Calor ni-

nimius coagulandae quidem lymphae impar, secretiones tamen immutat, turbat, creat novas, auget naturales, aut supprimit; fluidorum miscelam alterat, sejungit, inquinat, fluidiora canalibus expellit; expulsa, stagnantia, corruptioni propriae, celeriori exponit; circulantia vero ob vim vitae resistentem non putrefacit quidem, sed ad putrefactionem disponit; acredinem evolvit, exaltat; sensibilitatem, irritabilitatem auget, immutat, obtundit, extinguit; lympham, fluidiori parte spoliatam, ad coagula, sub data quiete, proniorem reddit, et infarctus, obstructiones sollicitat; nimiae vasorum extensioni, distractioni, rupturae ipsi, et haemorrhagiis favet. Si praeter causas, calorem augentes, stimulus alienus accedat, vel in corpore latens evolvatur, aut generetur: tunc multiplex, infidus saepe, et obscurior caloris effectus, cum partium, totius pernicie.

Calor ad *sensum* internus, externus, partialis, urens, mordax, effectus causis proprios producit, et majores, quo minor vis cordis, nervorum, his subigendis, immutandis, expellendis invigilat. Hinc *coctio* in febribus contagiosis, nervosis, len-

lentis, in subjectis cachaeticis, aut nulla, aut tarda, aut mala; abscessus sordidi, metastases frequentes, insecurae, inutiles, gangraenae, paralyses, infarctus viscerum, hydrops, atrophia, tabes.

a) Ill. *Franck* Epitome. Tom. I. p. 7.

Cum abstrusa sit caloris animalis, cum in sano, tum in morboso statu origo, non certe melius indicationes pro calore febrili moderando tollendove desumi possunt, quam a vario febris genere, atque illius indole. Quomodo igitur in quavis febre calori prospiciendum sit, breviter videamus.

Si sola humorum rarefactio, aut velocitas aucta in homine febriente calores magnos excitaverit, has ipsas causas minuere oportet. Huc praeprimis faciunt animi et corporis quies. Ideo veteres medici jusserunt, ut morbis acutis decumbentes in loco tenebricoso degerent, ab omni strepitu remoti, ut sic vitarentur omnia, quae sensus internos et externos valide afficere possent. Nihil autem sanguinis missione febris impetum potentius compescit, ubi in priori horum commentariorum vo-

lumine dictum est. Potus frigidiusculus calorem optime temperat. Summum tamen usum habet, aëris, in quo versatur aeger, prudens refrigerium: quod imprimis sit, si non oneretur stragulis aeger, sed vel erectus sedeat in sedili, si vires ferant; vel modice tecto corpore supra lectum decumbat: dum interim apertis fenestris aliquoties de die renovatur aër loci, in quo decumbit aeger, vel si aestivo tempore aër externus nimium calorem habuerit, gratum illi addatur refrigerium. Huc imprimis facit, si aquae frigidae in cubiculo sparsae exhalationibus repleatur aër; qui tunc majorem copiam aquae habens difficilius incalescit ab atmosphaera corporis nostri calida, unde caeteris paribus, sani etiam homines in aëre humido majus frigus sentiunt, quam in sicco. Simul etiam aëris humiditas prodest, quatenus siccitatem corporis, caloris nimii effectum, emendat. Hinc jussit *Galenus a*), ut gratum aëri refrigerium concilietur, aquam frigidam de vase in vas transfundere; demum aqua, quae prorsus frigida est, respergere; rosas plurimas humi spargere, aut vitium capreolos, ruborum summi-

mitates, rubi ramos etc. simulque cavere, ne a turba ingredientium hominum domus calefiat. Emulsiones quoque egregium usum praestant in calore febrili moderando. His maxime locus est, ubi incrementum febris in vigore processit; quod eo tempore parcissimus alioqui victus esse soleat, et his ipsis vires omnium optime, et facillime sustineantur. Opportunitas maxima est exhibendarum emulsionum circa vesperam, atque in multam noctem *b*).

a) *Galenus* Method. med. Lib. X.

b) *Brendel* Praelectiones Tom. I. p. 76.

Calor, qui a plethora ortum habet, venae sectionem sibi poscit; nam directe sic evacuari poterit illud, quod nimia copia peccabat in corpore, et quidem pro lubitu, prout res postulat. Verum si abundans cacochymia molem movendorum auxerit, simul et semel illam tollere, uti in plethora, non possumus; quia larga etiam sanguinis missione facta, qui supersunt in vasis humores, tamen a naturali sanorum humorum indole degeneres manent, dum interim per hanc evacuationem tollitur pars sanguinis boni, cujus copia in

cacochymicis deficit, quamvis peccet nimia movendorum moles. Dum enim in pallida virgine totum corpus inerti et mucoso humore turget, pauculum tantum boni sanguinis superest saepe; hinc per copiosas, vel repetitas venae sectiones insuperabilis postea lanquor fieri posset. Ubi vero per validam febrim motis humoribus, et stagnantibus, quae album illum corporis tumorem fecerant, in motum reductis, moles movendorum nimis increscit, sic ut inde debilium vasorum ruptura metuatur. Tolli quidem debet distendentis liquidi pars, sed lente et per vices evacuando, moderata venae sectione, vel purgantibus talibus, quae motum non augent, neque multum solvunt humores bonos adhuc superstites, sed gravantem nimia copia saburram de corpore subducunt. In hoc etiam casu, licet copia major liquidorum fuerit in corpore, non tamen tantus calor inde nascetur, quia rubra sanguinis pars deficit, quae calori producendo, et productum diutius servando, aptissima est. Omnium difficillimum est, si cacochymiae juncta fuerit magna simul acrimonia, uti in scorbuto pessimo, atra bile

so-

soluta et mota. Summus enim metus est, ne distenta vasa acribus humoribus, motis per febrim, rumpantur, cumque tota humorum massa his inquinata fuerit, quantumcunque evacuando subduxeris, in residuo tamen manet eadem malignitas, quae acri stimulo circulationis velocitatem augere continuo potest. Requiritur ergo tunc praecipue, ut cognita per sua signa acrimonia cacochymiae praedominantis per opposita huic remedia corrigatur, quantum fieri poterit, et prudenti evacuatione subducatur de corpore abundans copia.

Neque tamen citius, nunquam fere periculosius, moles movendorum augetur, quam ubi in hominibus obesis per febrim acutam soluta pinguedo, et per calorem auctum attenuata, sanguini miscetur. Ingens illa pinguedinis copia, postquam soluta est, venas ingreditur, et sanguini miscetur: hinc ne quidem audacissima venae sectione tantum tolli potest, quantum quotidie de soluto hoc pingui humoribus circulantibus permiscetur. Unde omnes summae plethorae effectus quotidie renascuntur; et augentur haec mala, quia in obesis angusta saepe vasa sanguinea sunt,

quae ergo illud augmentum molis adeo subitaneum ferre nequeunt. Indicatio ergo curatoria hic est, ut illud pingue tollatur, quantum fieri poterit, ocyssime. Observatur autem in tali casu, urinam ruberrimam esse, spumescentem, sudores saepe admodum olidos, et fere pingues; hinc convenit largus aquosorum potus, ut urinae et sudori vehiculum subministretur. In classe remediorum leniter solventium habentur praecipue acida, oxymel simplex, syrupus acetositatis citri, limonada, cremor tartari; mannata quoque, et saccharia, additis salibus mediis mitissimis, quibus humorum viscositas et solvitur, et lenissimo stimulo ad alvum determinatur. Pertinent huc quoque aquae minerales selteranae, illisque virtute affines; gramen, taraxacum, cichoreum aut aqua decoctum, aut illorum extractum, succive expressi; magna enim illorum in solvendis glutinosis humoribus virtus est; interpositis tamen remediis per alvum leniter evacuantibus. Huc quoque pertinet serum lactis ebutyrati, quod cum omni fere pinguedine careat, magna copia potatum pulcherrime prodest, et hoc solo in

ta-

talibus morbis facile vita sustentari poterit, licet nihil ulterius cibi exhiberetur.

Si autem calor in febribus inflammatoriis nimium exorbitet, a methodo generosa antiphlogistica cura petenda est. Atque primum tunc locum venae sectio obtinet. Potus deinde tepidi, acidiusculi. Haec omnia stricta laxant, et diathesi inflammatoriae contraria sunt.

Quo modo calori in febribus bilosis exorbitanti occurrendum sit, in commentariis, ubi de febre biliosa agebatur, dictum est. Maximum certe praesidium in aëre libero, frigidiusculo habetur. Quae *Brendelius* de regimine aegri generatim monuit, huc praecipue traduci possunt: „De cubiculis notandum, id non debere ita calefieri, ut exaestuet, sed aërem ejus quam temperatissimum, non quidem gelidum, neque tamen calidum nimis, atque ejusmodi, ut per idonea spiracula, quae aegrum non e directo afficiant, subinde recens emitti possit. Pessimus respirationi aër est clausi cubiculi, exhalatione hominum, ipsiusque aegri contaminatus, et elateri suo orbatus. Exempla sunt nosocomia publica, et militaria. Neque statim

tim lecto defodiendus est aeger, sufficiuntque levia stragula; quin in multis acutis inter initia commodum est, aegrum neglectim saltem amictum super lecto cubare. In genere et hic vitandum aestuosum regimen, neque etiam inter initia exprimendus statim sudor est; quod quantum in variolis noceat, aegrum statim lecto addici, recte *Sydenhamus* monuit. Sic multae febres acutae ordinariae fiunt exanthematicae " *a*).

In febre putrida acida praesertim mineralia aestum febrilem sedant. Effectus enim salutares acidorum mineralium sequentes *Stollius* commemorat. 1) Evacuationes omnes, si larguent, blande sollicitantur, urina, alvus, diaphoresis. 2) Putredini resistunt. 3) modo quodam inexplicabili, sed tamen per observationes certo, sanguinem rarefactum orgasticumque temperant, et calorem minuunt. 4) Vi quadam quasi specifica deliria avertunt; quemadmodum enim aër frigidus liberque orgasmum humorum in variolantibus temperat, deliria, convulsiones, quasi momento, abstergit, ut primum is, qui ex insitivis variolis decumbit, ex cubiculo

suo

suo in aërem liberum defertur, ita eodem febrium inflammatoriarum symptomata ab acidis mineralibus aufferuntur *b*).

a) *Brendel* Praelect. Tom. I. p. 46.
b) *Stoll* Rat. med. Vol. VI. p. 498.

Hinc axiomata semiotica facile intelliguntur;

1) Calor inflammationis et suppurationis indivulsus comes est. Pars enim inflammata tumet, calet, pulsat; atque ubi pus formatur, suppurationis focum majori caloris gradu, ubi nempe mucilago illita citius siccescit, detegimus.

2) Pessimum est, si aestus praecordia infestat, quippe inflammatio subest: *a*) si calor aestuosus circa ventriculum, et dolor oris ejus, vel aestus laterum cum dolore ac rigore persentiscitur: si interna viscera uri videntur, externa aut modice calere, aut frigere, id quod, attestante *Thucidide b*) in pestilentia Atheniensi, et etiamnum in febribus pessimis accidit *c*).

3) Non nimis fidendum calori blando est, qui febris vehementiae non respondet; calor enim tunc intimis corporis compagi-

gibus inclusus eo vehementior est, et perniciem clanculum accelerat *d*).

4) Aegros de calore non conqueri, etsi is medici manum vehementer afficiat, malum utique signum; notat enim materiam morbi ad cerebrum esse delatam..

5) Pessimum signum, si vehemens calor febricitantis caput exercet: metuenda enim sunt deliria, convulsiones, phrenitis, et non raro subita mors *e*).

a) *Gruner* Semiotic. p. 554.
b) *Galen*. Comm. I. in VI. Epid.
c) *Van Swieten* ad aph. 579.
d) *Gruner* Lib. c. p. 455.
e) Id. ibid. p. 454.

Ex illis, quae hactenus tradita fuerunt de calore febrili, poterit etiam intilligi siccitatis origo, ejusdemque natura et efficacia. Siccitas autem in fluidis nostris adesse dicitur, quando diluentis vehiculi aquosi debita copia deficit: unde reliquae fluidorum partes concrescunt, et adunantur in majores moleculas, quae per ultimas vasorum angustias transire nequeunt: in solidis vero partibus corporis adesse dicitur idem vitium, quando illae defectu liquidi alluentis exarescunt, rigidae fiunt,

et

et contrahuntur. Adeoque siccitas et in solidis; et in fluidis partibus semper defectum liquidi, quod naturaliter adesse debebat, supponit. Siccitatem autem adesse novit medicus, si partes illae corporis nostri, quae naturaliter semper humidae sunt, aridae appareant; quod ergo imprimis in externo corporis superficie distingui poterit; et inde non sine ratione concluditur, in internis pariter corporis partibus simile vitium obtinere. Cutis nostra tenerrimo halitu, ex arteriis exhalantibus expresso, semper fovetur, et laxatur; simul ac illud deficit, exarescit cutis, et squalida apparet, ac durior; uti in febre ardente funesto omine toties observatur. Nares internae, lingua, gingivae, palatum, fauces, et totum os internum in sanis hominibus in omni puncto madent; oculi tenuissima lympha irrorantur; et dum illa deficit, pulverulenti et squalidi apparent. Si ergo in illis partibus, quas semper in morbis curandis sollicite lustrare solent prudentes medici, humiditas naturalis deficiat, novimus siccitatem adesse. Malum est, si siccitas morbo increscente perdurat: ideoque partes

tes singulas siccatas in moribundis damnandas censuit *Hippocrates* a).

Omni itaque modo in siccitate conari debemus reddere humoribus illud, quod perierat; diluens nempe vehiculum, quod aquosum pro maxima parte novimus: unde aqua potu, fomentis, balneis, clysmatibus, gargarismatibus ingeritur corpori, vel applicatur partibus illis, in quibus siccitas deprehenditur, atque eadem opera laxantur vascula, quae per siccitatem contracta liquidis transmittendis omnem denegabant viam. Adduntur aquosis farinosa mollia, ut rigida siccitate partes emolliantur citius, et aqua leni tali glutinoso unita, quasi magis haereat partibus, neque tam cito dilabatur de corpore. Cum autem siccitatem comitetur semper sanguinis major tenacitas, adduntur mellita, fructuum horaeorum succi, syrupi et sapae ex his confectae, ut per haec adunatae jam fluidorum molleulae solvantur felicius, sicque liber fluidorum meabilium per vasa pervia motus restituatur; hoc enim facto aberit siccitas, et pristina redibit corporis partibus omnibus humiditas. Cum autem siccitas calorem majorem soleat sequi, simul

mul his adduntur acida, et imprimis, quae sanguinem attenuant, uti sunt acidi vegetabilium succi, vel et fermentati, vinum acidulum, acetum etc. Hac methodo optime tolli poterit siccitas, et simul emendabuntur illa, quae siccitatem comitari solent, et sequi.

a) Prosper Alpin. de praesag. vita et morte. L. II. p. 131.

DELIRIUM FEBRILE.

Communem fere cum deliriis, convulsionibus, pervigilio, et sopore originem, eandemque medendi rationem *capitis dolor* habet; ut ideo seorsim de hoc symptomate agere *Stollius* noluerit. Cum interim molestum non raro hoc symptoma aegris sit, et illius ablationem acriter nonnunquam a medico soleant expetere, et de hoc symptomate breviter quaedam ex *Brendelio a*) adnotabo, et doctrinae de delirio febrili praemittam.

Capitis dolor, isque febrilis, molesta quaedam sensatio est; maxime in exterioribus capitis partibus, galeaque, quam vocant, aponeurotica capitis: etsi et inte-

riora doloris capacia esse posse, non omnino negatum eam. Est autem dolor capitis febrilis, alius capitis *idiopathicus*, a pressione et plenitudine vasorum repetendus, quam sequitur impeditior sanguinis ex capite reditus. Nam illa ipsa respirationis mutatio, quae in febribus est omnibus, ut replendo immodice systemati venoso apprime inservit; ita itidem impediendo sanguinis per venas jugulares vertebralesque reditui, unde plenitudo vasorum, capitisque dolor non potest non enasci.

Alius dolor capitis est *consensualis*, obortus ex cruditatibus ventriculi, primarum viarum, commercioque paris nervorum octavi, sed maxime omnium, nervo sympathetico magno tribuendus. Subinde etiam dolor capitis, ut in hystericis, supervenientis cujusdam modo: i. e. cujus caussae et in morbo, et in corporis privato vitio simul latuerant, affligere potest. Illa omnia probe aestimanda. Atque dolor capitis, isque idiopathicus non difficulter cognoscitur; ita et consensualis ex primis viis, si praesertim sensus gravitatis in ventriculo, cardialgia, nausea, vomitus, et alia cruditatum signa adfuerint. Sic alvus

in.

in febribus acutis diutius obstructa dolorem capitis aut producit, aut auget, vi sanguinis ad superiora inclinante, ob impeditiorem per intestina circulum, forsan etiam stimulos plexibus nervorum mesentericis a nervo sympathico magno illatos. Omnes dolores capitis et hic praesagit illud elegantissimum *Hippocraticum:* Quibus urinae sunt conturbatae, instar jumentorum, his dolores capitis aut adsunt, aut aderunt. Urina jumentorum turbida est; sine febre simul albicans et pallida, cum febre simul rubra. Talis rubra, vel febrilis, et simul turbida urina dolorum capitis hic semper index est.

Dolores capitis febriles et ipsi varia praesagiunt:

1) Nam et vigilias efficiunt, et ex his deliria, et
2) portendere possunt haemorrhagias,
3) abscessus pone aures, deliria,
4) vomitus, ut alia atque alia signa sese addunt,
5) Quin et diuturnitatem inter alia signa praesagiunt, praesertim si febris mitior fuerit, cumque hoc dolor capitis sine aliis malis signis,

 per

per exacerbationes exasperandas perduret.

6) Mali sunt in angina capitis dolores, citra signa externa inflammationis ad collum, et plerumque perniciosi.

7) Si ex lumborum dolore subsequens capitis et colli dolor, praesertim cum stupore, soporibus, fugitivis item deliriis, phrenitidis signum est.

8) Caput dolentes, et simul sudantes, moleste haec ferentibus aegris, mala in acutis sunt.

9) Et generatim dolores capitis fortes et continui, quos supervenit delirium, sic et de dolore capitis non conquerantur amplius, perniciosum.

Sigillatim delirii phrenitidis symptomaticae imminentis signum est, capitis dolor, si praecordia simul intenta et pulsantia sint, atque alia delirii signa simul se exhibeant. Praesertim inter initia capitis et colli dolores semper de phrenitide suspecti sunt, pessimumque omnium, si sub capitis dolore quaedam, quasi prae oculis volitantia simulacra, muscarum, telarum aranearum verentur.

Si

Si febris non acutissima fuerit, dolor capitis moderatus, signa haemorrhagiae narium nulla, quin et surditas soporque sine delirii imminentis aliis signis fuerint, alvus constipatior; et haec praesertim circa et post vigorem febris contigerint, urinis crudis, turbidis, et etiamnum febrilibus, maxime si juxta aures dolor insolitus sentiatur, abscessus pone aures prospiciendi erunt.

Si vero dolor capitis circa frontem potius et tempora fuerit, micentque insolito modo carotides, rubri itidem sine signis delirii, itemque si lachrymosi oculi fuerint, urgeant vigiliae, dolor aliquis colli tensivus fuerit, sine malis, et speciatim delirii signis, haemorrhagia narium exspectari poterit.

Haec uti ad idiopathicos capitis dolores pertinent, ita consensualia ex cruditatibus ventriculi, alvoque obstructa, facile suis sese signis prodet, si praesertim diaeta pristina responderit, et alia cruditatum ventriculi signa, et alvus constipatior fuerit. Hi vero dolores capitis, quod memorabile est, magis occiput, quam frontem et tempora afficiunt.

In curatione hujus symptomatis probe attendendum, an *consensualis* ; an *idiopathicus*, an forte *supervenientis* modum habens dolor capitis fuerit. Ex alvo obstructa orta facile levatur clystere, qualiscunque acutae species fuerit: Et si cruditatum ventriculi signa adsint, morbusque inter initia versetur, mite vomitorium sub remissione levamini erit. Reliquis doloribus capitis nihil sigillatim opponi potest, nisi ut temperantibus, antiphlogisticisque insistatur, et si ingravescant, revellentia, et maxime rubefacientia, aut vesicantia cervici, humeris, vel suris accomodentur. Neque tamen statim omnibus doloribus capitis oporose hic occurrendum, probeque dispiciendum, an praeter exacerbationes, sub quibus graviores vulgo sunt, et in remissiones, praesertim cum suspectis signis, producantur. Ceterum alvus quotidie aperta, et productus temperantium ordinariorum usus febrili capitis dolori optime succurrunt.

Remedia quoque externa tum revellentia, tum capiti ipsi accomodata topica, quae aut relaxandi, aut revellendi vim habent, commendari solent. Ex revellentibus

bus optimi sunt clysteres, iique mere emollientes, pediluvia tepida, eaque iterata. Nam, quae a multis plurimum laudantur, repellentia, ancipitia sunt, et plerumque internas capitis inflammationes, metumque phrenitidis pedissequas conjunctas habent. Danda vero semper opera est, ne pediluvia fervida sint, sed semper temperantia, saltem, ne aestu, et rarefactione augeant. Pediluviorum loco esse poterunt pedum crurumque frictiones ex aqua tepida, cum lacte tepido ope spongiarum institutae, abstergendis deinde linteo tepefacto omnibus, et lecto componendis.

Topica capitis dolori febrili accommodata, supra dictum est, alia esse *repellentia*, quae nunquam probo, alia mere *emollientia* et *demulcentia*, quae omnium optima sunt, si opus est topicis, quibus a nonnullis, sed itidem non probanda, hypnotica accensenda. Optima sunt relaxantia et emollientia, quae quidem facile et domestica, varieque parantur, forma cataplasmatis ex mica panis albi, lacte cocta, ex cremore ptisanarum avenacearum ad pultis consistentiam cocto, vel sacculorum ex ptisanis hordaceis, vel furfuribus cum

pulvere seminis lini, vel si odor molestus non est, ex iisdem ptisanis, aut scobe panis albi, cum pulvere pro cataplasmate emolliente officinali parati, et ex lacte calido subinde expressi. Talia sunt omnium optima, si quidem topicis opus est. Probabilia etiam sunt, veterum *oxyrrhodina*, quae vocant, id est miscelae ex aqua rosarum, oleo rosaceo, ad consistentiam emulsionis spissiusculam conquassando subactae, tepideque complicatis linteis applicatae. Nec plane proscribenda sunt cataplasmata domestica: e. g.

℞. aq. rosar.
acet. rosac.
olei amygd. dul. aa. q. s.
M.

Probe conquassata sint pro epithemate, oxyrrhodinum veterum aemulante.

Quae magis repellunt, vel saccharum saturni recipiunt, cataplasma item ex terra cimolia, vel bolo vulgari rubro, similibusque, quin et aceta varii generis, quae rubefaciendo levare fortassis et divertere causam doloris, sed et repellere possunt, maximeque omnium epithemata spirituosa ex aquis variis cephalicis, adeo non pro-

probanda, ut abstinendum illis omni modo sit. Neque est universim, ut remediis topicis hic utamur. Raro, nisi in catarrhalibus febribus, aut initio phrenitidum, nondum urgente delirio, aut alvo obstructo, cruditatibusque primarum viarum, ita urget capitis dolor, ut operosis topicis opus habeat. Ex illis si fuerit causis, sanguinis tempestiva missio, vel iterata, vel per scarificationem, aut hirudines revulsio, adplicatae pone aures, clyster, tempestivum vomitorium, pediluvia pluris erunt, quam omnia topica, quae si fortassis requirantur, sufficere domestica illa, et demulcentia possunt. Quin dolori illi capitis qui in febribus non gravibus sub incremento et vigore haemorrhagias narium praecedit, nulla omnino topica, nisi magno detrimento, conveniunt.

a) Praelect. Vol. I. p. 97.

His praemissis ad ipsum nunc delirium febrile explicandum accedo. Delirare autem dicitur homo, dum idearum ortus non respondent causis externis, sed ab interna cerebri dispositione mutata pendent, natam praeter voluntatis imperium. Obser-

vamus enim quandoque aegris, dum incipiunt delirare, horrenda phantasmata obversari, quae adeo detestantur, ut omni voluntatis nixu delere conentur has ideas nec possint tamen.

Varii autem sunt deliriorum gradus. Aliud placidum est, aliud continuum et furibundum. Ultimum hoc genus *desipientias ferinas* vocavit *Hippocrates a)*, dum nec ratio, nec minae, nec pericula absterrent miseros, quo minus sibi saepe aliisque noceant.

Est vero delirium maximam partem malum, et vehementiam magnitudinemque morbi, cerebrum male affectum, aut caeteras corporis partes, quibus cum eo cognatio quaedam, et consensio intercedit, valde laesas, tandem perniciem, et mortem aegri denunciat *b)*.

a) Hippocrates. Praedict. Lib. I.
b) Idem Aph. II. 33.

Ea nunc deliriorum; quae maximi momenti sunt, genera seorsim consideremus.

1) Deliria, quae insomniis debentur, quae lenia sunt, et cum bonis signis juncta,

cta, quae brevi finiuntur, nec continuant, minus mala et periculosa sunt. Deliria enim in febrium acutarum vigore, si cum vigilia oriuntur, paullo post in somnum salutarem *a*), et mentem sanam transeunt, terrere non debent.

a) *Galen*. Loc. Affect. II. 9.

2) Minus etiam periculosa sunt, quae in febrium intermittentium vel remittentium accessione, aut vigore incidunt. Febre enim sua methodo ablata, ipsum quoque delirium sponte disparet.

3) Neque ea deliria periculum portendunt, quae in hominibus nimia nervorum mobilitate praeditis, vel ob peculiarem in deliria propensionem, solent accidere. Observamus enim non raro homines, qui vel sub levissimo febris insultu mox delirare incipiunt,

4) Pessima autem sunt deliria, quae cum urina, alvo, et transpiratione cutanea suppressis, una cum motibus convulsivis iisque variis, aegrum prehendunt, depositionem enim materiae morbificae ad cerebrum, cerebellum, aut thecam vertebralem significant.

5) Pessimi pariter ominis est, delirium cum pulsu celeri et molli, aut celeri, contractoque simul, ac vibrante, respiratione parva, accelerata. Factam enim ad encephalon depositionem docent, quod in febre putrida frequenter contingit.

6) Terrere etiam valde debent deliria, ubi cum studio et ausu temerario *a)* fiunt, ubi aegri neque amicorum adhortationibus parent, nec minis coërceri possunt, sed corpus huc illuc jactant, vociferantur, e lectulis assurgere gestiunt, et vires residuas frustra perdunt, custodibus vero violentas manus inferre satagunt. Itidem enim depositionis jam factae indicia sunt.

a) *Hipp.* Epid. Lib. III.

7) His fere respondent ea deliria, quae a debilitate, spirituumque penuria recentiores medici repetunt *a*). In his aegri clausis aut fixis oculis jacent, quasique meditabundi, rerumque omnium obliti, periculi nescii, et interrogati, quomodo se habeant, optime respondent, floccos tamen in veste legunt, fimbrias diducunt, et in proximo pariete, si quae minuta imminent, diligenter studioseque carpunt;

con-

contremiscunt, et palpant *b*). Quae dum apparent, magna cautione opus est, ne medicus fallatur falsis istis induciis; nam brevi procella impetuosior vitae clausulam faciet *c*).

a) Ill. *Gruner* Lih. c. p. 279. Hipp. Praed. I, 4.
b) Ill. *Tissot.* Hiftor. febr. Laufann.
c) *Galenus* Comment. I. in L. Praed.

8) Delirium taciturnum cum spiratione magna et sublimi, apoplexiam, et convulsionem universalem portendit *a*) a migratione humoris morbidi.

a) *Hippocrat.* Coac. §. 3.

9) Complexus autem malorum ominum est, si deliria cum illis signis incedant, quae hoc ultimo numero a *Stollio* describuntur. His sequentes adhuc ex *Brendelio* Praedictiones addo.

10) Pessimum, si quis in febre jam acuta delirans, fiat icterodès, sine levamine.

11) Pessima in genere deliria praedebilitatorum, ut ait *Hippocrates*, vel exhaustis jam viribus accedentia.

12) Pessimum, et fere lethale, si delirans frontem, praesertim crebro corruget,

get, si floccos paleasque carpat, si deliranti lachrymosi oculi fuerint, aut sebaceis sordibus obsiti.

13) Si surdus, et vicissim acutissimo auditu, quod phreniticorum est, et vel lenissimum strepitum percipiente, fuerit.

14) Mortifera putantur deliria, quae cum rigore, horrore, et extremis algidis, itemque in cerebri inflammatione, pessimis cum signis fiunt; nec non phrenitica, tremula et obscura sunt.

a) *Hipp.* Praed. I. 4. Coac. §. 1.

15) Si deliria febre ineunte apparent, vel finita ea subsistunt, iterumque recrudescunt, pessima sunt, praesertim ubi post summam corporis debilitatem, spirationem difficilem, sudorem continuum, et singultum oriuntur. Tunc enim mors ante portas est *a)*.

a) *Hipp.* Coac. §. 2.

16) Bonum vicissim est, si deliranti copiosa, et profusa narium haemorrhagia contingat, quin saepius, ut vestigia saltem stillarum sanguinis lethalia vicissim sunt.

17)

17) Bonum etiam est, si phrenitico multum sanguinis per alvum et vesicam secedat, morbo nondum in extremo versante.

18) Bonum itidem, deliria somno minui sedarique, et si per somnum evidentia et clara insomnia fuerint, quae enarrare possit, expergefactus.

Cum anceps et periculosum in acutis signum sit delirium, juvat nunc ea symptomata recensere, quae futurum delirium portendunt.

1) Somni turbulenti, et tumultuosi, in quibus subito aeger expergiscitur et clamat *a*); pervigilia continua *b*), dolor capitis vehemens, assiduus, pulsans *c*).

a) *Hipp.* Coac. §. 13. de insomn. §. 21. *Artemidor* de insomniis Lib. 55. *Lomm.* Obs. med. III.

b) *Hipp.* Praed. I. 5.

c) — Epid. II. 28.

2) Oculi quoque de imminenti delirio medicum admonent. Oculi truces, torvi, fixi, perniciosissimi. Omnium autem teterrimum signum est, oculus oculo major, metastasin enim ad encephalon factam esse significat.

3) Aurium susurrus et tinnitus, itemque ipsa surditas *a)*.

a) *Hipp.* Praed. I. 4.

4) Stridor dentium per vices sine somno, in non assuetis, adultis *a)*. Masticatio ore vacuo, sputatiunculae, primorum laborum ministerio.

a) *Hipp.* Coac. §. 1.

5) Silentium continuum, vel celeris et ferox responsio in miti homine, at modeste in feroci; inconcinna blateratio, et inepta ad interrogationes responsa, vociferatio, fletus, vel risus perpetui *a)*.

a) *Hipp.* Praed. I. 6.

6) Cutis siccitas strigosa, cum urina nunc parciore, nunc absque enaeoremate; sanguinem enim ad caput velocius moveri notat.

7) Si respiratio praeter modum anhelat, quin et subinde profunda esse inceperit.

8) Pulsus nunc subito acceleratus, contractus, vibrans instar chordae metallicae pulsatae, celeriter micantis.

9)

9) Falsa rerum absentium phasmata, amicorum et familiarium neglectus, animus citra rationem abjectus, ira et odium incredibile, sensus justo exquisitior, jactatio corporis crebra, indecora manuum pedumque gesticulatio, pudenda denudata, insueta in ventrem non dolentem cubatio *a*) crura retracta, vel diducta *b*).

a) *Hipp.* Praed. II. 2.
b) *Tanrelli* Method. Praed. med. p. 274.

10) Deglutitio difficilis semper terribilis esse solet, cum maxime, si aeger ne potionem quidem deglutire valet, et non nisi post spiritum longum, ructuosum, et convolutatum, tussim, et aliquam quasi revocationem.

a) *Hipp.* Coac. §. 4.

11) Sitim deficere in calidissima febre semper malum est, commune enim sentiendi instrumentum graviter affectum indicat.

12) Pessimum quoque, dolorem si quis ante morbum, vel ipso morbo non potuit non alicui membrorum esse, non sentit, etsi is non disparuerit, neque causae sint, cur disparuerit.

13) Hinc optime signa imminentis delirii *Baglivius* enumerat: imminente vel actuali delirio hypochondria sunt intropressa, bulbus oculorum immobilis, et quasi saxeus, lingua balbutiens, et plerumque tumescens, arida et sicca. Totum corpus veluti tensum et parum flexile. Praeterea semper praeit gravis capitis dolor, suppressis etiam ordinariis excrementis. Dum aeger delirat, filtra omnia glandularum parum segregant *a*).

a) *Stoll* Rat. med. Tom. VI. p. 102.

Causarum autem, unde deliria in febribus oriuntur, quatuor potissimum genera constituenda sunt.

Ad primam causarum classem celerior humorum ad encephalon motus; hinc in febribus acutis, inflammatoriis frequens omnino symptoma delirium est. At omne etiam illud, quod sanguine ex capite redeunti remoram ponit, seu id pulmonibus, seu in visceribus imi ventris contingat, delirium potest inducere. Hinc etiam in angina ob impeditum sanguinis per venas jugulares reditum, oculi rubent sanguine suffus, et horrendum in modum protuberant;

tan-

tandem etiam cerebri functiones turbantur. Id etiam ob eandem causam in valida peripneumonia aegris accidit. Hinc generarum rubor in peripneumonicis, eandemque ob rationem etiam delirium. Hinc etiam *Hippocrates*, ut *Ballonius* notat *a*), morbos vocat lethargos, quorum ratio fere eadem est, ac peripneumoniae. Fit autem, cum focus febris continuae est in pulmonibus, et ii obstructi sunt valde, et humore crasso putrique pleni: qui enim ab ea materie fumi excitantur, dum obruunt anteriores cerebri partes, lethargum inferunt, et καρώδες et κωματώδες, et ab eo accidente, quoniam aegri obliviosi, socordes, veternosique jacent, affectus λεθαργος dicitur.

a) *Stoll* Rat. med. Tom. VI. p. 256.

Sed viscera etiam abdominalia non raro sanguinis ex capite reditum impediunt. Inter viginti deliria, ait *Tissotus*, nativam exceptam velim fatuitatem, octodecim sunt ex hypochondriis, quod probe tenendum, ne saltem aegris noceamus, quibus prodesse tam arduum, et tam rarum. Ratio est, quia cerebrum ab obstructo hepa-

te sympothice, a bile vero sanguini mixta idiopathice afficitur *a*).

a) Ill. *Tissot* de febre bilios. Laus.

Omne etiam acre in febre qualicunque ad cerebrum delatum deliria poterit producere. Exemplum delirii a cito resorptis in puerpera aquis *Stollius* habet *a*). Foemina juvenis in octavum mensem gemellis gravida, et a tribus jam mensibus, cum antea fuerat robusta et sanissima, incepit tumere pedibus, cruribus, femore, artubus superioribus, tumore intercute, aquoso. Post mensis octavi initium repentino et facili partu gemellos vesperi excludit. Omnia bene: dormit ea nocte. Mane circa auroram evigilat delirans, subinde furiosa; fit dein soporosa, aphonos. Pulsus duri, tardi. Secta vena est iterato; data clysmata, et haustus salini. Rediit ad se post duos dies. Sed non potuit omnia profari, aut omnia vocabula pronuntiare. Mens constat, sed tamen levis adest fatuitas. Tumor hydropicus omnis disparuit. Tandem nova venae sectione, ob pulsum pleniorem, et decocto tamarindinato firmabatur non diu post. Arbitra-

trabar, aquas repentino partu celeriter fuisse resorptas, atque in communem humorum massam reductas, inde plethoram, et stasim in encephalo. Idem etiam in puerperis a lactis excretione impedita, ab humore quocumque retropresso solet contingere.

a) *Stoll* Rat. med. Tom. IV. p. 70.

Quorumdam hominum eam scimus esse systematis nervosi mobilitatem, ut etiam, dum sani vivunt, a quotidianis stimulis valde afficiantur. Tales homines, si forte morbosus quidam stimulus accedat, facile delirant.

At quod miremur, subinde ea quarundam epidemicarum constitutionum potestas observatur, ut plurimi hominum febre prehensi in deliria incidant.

At varium esse solet hoc delirium, et a febre huic commixta sanatio auspicanda est. Uti enim alio tempore pulmones, alio hepar, et imi ventris viscera afficiuntur, ita certis temporibus omnis morbi impetus cerebrum opprimit. In febre anno 1552. in Aquitania regnante (erat autem haec febris ex febrium inflammatorio bi-

liosarum genere) plurimi aegri in delirium inciderant. Memorabile exemplum *Peter Borellus* adducit. „ Inter magnam hanc aegrorum varietatem, unus in admirationem omnes rapuit, qui curatus licet, dum per urbem vagaretur, subito delirio correptus fuit, et omnia illaesa memoria, etiam arcana domestica, et pudenda revelabat, cumque cachinnis publica faciebat; pervigil interea erat, facieque rubra; tempus erat aestivum, magnoque urgebat Syrius aestu; noctu, et remediorum frigiditate humores ejus maniaci demulcebantur, cum per decem dies talem comoediam egisset morbo personatus, nullaque remedia profecissent, vi ei cucurbitulas cum multa flamma suturis imponenda curavit, postea phlebotomis et topicis capiti admotis; sed praecipue usu aquae balnei dulcis in integrum restitutus est. Tamen post mensem rediit morbus, unde mortuus est. Crederem ego meninges inflammatas, et tandem gangraena affectas fuisse. Sic olim Abderitana plebs insanis erat, quod nimio sub aestu tragoediam audivisset, unde postea carmina ejus insanientes dicebant;

qui-

quidam enim se in puteos projiciebant, interno acti incendio *a*).

a) *Petri Borelli* Hist. et Obs. Medico-phys. Centur. p. 309.

Hinc ratio patet sequentium. 1) Ea deliria male ominosa sunt, quae a raptu humorum ad caput, et inflammatione, aut oppressione cerebri oriuntur, illisque ocyus occurrendum est. Minus ominosa sunt, quae a causa in aliis visceribus, eaque auferibili, ortum habent; ita enim sordibus in primis viis haerentibus, iisque e corpore eliminatis, mens redit. 2) Delirantes quosdam lux, alios tenebrae juvant; neutrum enim perpetuum esse, jam *Celsus* olim monuerat. Vidit *Switenius* aegros quosdam, qui in deliriis suis insidias hostium metuentes, in tenebris dum habebantur, furebant immaniter; longe autem minus feroces erant, si lumen concederetur. Magno autem lumini exponere tales aegros non conducit, sed sufficit, ut vicina objecta in debili luce distinquere possint. Simul autem in omnibus illis ratio habenda est, quanam consuetudine usus fuerit aeger ante morbum. 3) Quidam aegri custodum manibus elapsi foris

 su-

subito resipuerunt. Id aegris febre biliosa correptis frequenter accidit; ab aëre enim libero, simulque frigidiusculo orgasmus humorum compescebatur. 4) Subinde aegri, dum resipiscunt, delirare tamen adhuc videntur adstantibus; id autem accidit, quod aegri a vividis morbosis cerebri impressionibus seducti, ex falsis praemissis recte ratiocinentur. 5) Convalescentium deliria ab irritabilitate aucta, per nimias evacuationes inducta oritur, atque roborantium usu, et tempore persanatur.

Ex his omnibus patet, non unam esse deliriorum febrilium causam, atque praecipuam medendi methodum ab ipsa febris indole esse derivandam. Omnia autem remedia, quae aphorismo 700 recensentur, tantum agunt, quatenus vel noxios humores tollunt de corpore, vel copiam sanguinis minuunt, ejusque impetum a capite avertunt, et versus alias corporis partes revellunt, vel denique blanda anodyna vi excitatas in corpore turbas sopiunt. Verum praeter haec alia medendi methodus superesse videtur, per quam natis aliis ideis deletur vel minuitur sensim

illa

illa cerebri dispositio, a qua delirium pendet. Huc facit imprimis concentus musicus. Sic celebris musicus, artisque suae peritissimus, febre acuta continua remittente aegrotabat, septimo morbi die pessime cepit delirare, absque ullo fere intervallo, cum summis clamoribus, fletu, terroribus, et vigiliis perpetuis. Tertia ferocis illius delirii die aeger voluit, ut concentum musicum coram illo instituerent. Aegre hoc concessit medicus. Verum illico redibat vultui serenitas, convulsiones cessabant, lachrymabatur prae gaudio, atque sentiebat talem delectationem, quam nec ante nec post morbum unquam a suavissima quacunque harmonia habuit. Imo quod mirum, aberat febris, quamdiu durabat concentus musicus, illoque cessante redibant statim omnia mala. Expertus hoc solamen aeger de nocte etiam coëgit, ut cantaret, imo et saltaret custos, quae ipsi aderat. Sicque per decem dies continuato hoc remedio integre curatus fuit a).

a) Academie des Sciences l'An. 1707. hist. p. 8.

CONVULSIO FEBRILIS.

Frequens in omni febrium genere, periculosum, subinde periculi expers, et terrificum potius omen, in diversis corporibus a diversis, sibique invicem non raro oppositis causis ortum symptoma, *convulsio* est, quae ut signum infausti eventus medicum terret, et citam medelam exposcit.

Arcta est cognatio convulsionum et spasmorum cum deliriis. Phrenitici non solum convelluntur, sed etiam delirant. Chorea St. Viti, nec non convulsio, quae germanice Kriebelkrankheit vocatur (raphania Linn.) non est absque mente delira. Qui tetano laborant, non semper quidem, sed interdum delirare solent. Nonnulli hominum, qui tetano comprehensi sentiunt, vident, et olfactum quod attinet, vix ferre possunt moschi odorem, aut similia, alii vero alto sopore quasi sepulti jacent, et asphyxia laborantium instar, sensationibus orbati.

Est memorabilis omnino cognatio convulsionum et affectuum soporosorum, et sensuum privationis. Epileptici, tetano

laborantes, privari solent mentis facultate.

Risus *Sardonius*, morbus singularis, itidem designat morbum, qui delirio, et miris faciem convulsionibus vexat.

Tanta est itaque cognatio convulsionum, deliria inter atque soporem altum, quem catochum graeci vocant, ut effari fere nequeat. Morbus, quem graeci typhomaniam appellant, est etiam mixtum morbi genus. Homo enim typhomania laborans, laborat febre maligna, alto sopore, simulque delirat.

Convulsio est vel *universalis*, quae universum corpus, et *particularis*, quae singula membra occupat, et a loci affecti natura dijudicanda videtur. Etenim eae, quae ὀπισθότονον et εμπροσθότονον appellant, horrenda quaedam corporis mala sunt, at non semper exitiosa. Itemque convulsio maxillae inferioris *b*), sive a societate reliquarum proveniat, sive ab materiae et irritamenti migratione, ab rheumatismo capitis et cervicis, a dente carioso etc. sanationem et securitatem pollicetur. Nonnunquam vero intra quatriduum interficit, si pessimis cum signis incidit. At post fa-

ciei

ciei convulsionem mors certa et inevitabilis est, nisi parotis oriatur, atque pus deponat.

a) Cl. *Nebel* Commentat. de spasm. et convuls. Marburg 1791.

b) Ill. *Gruner* Semmiotic. p. 223.

Ad convulsiones ex irritatione oriundas, pertinet quoque convulsio a materia rheumatica ad nervos deposita. Duo catalepticorum exempla ab hoc stimulo *Sinopocus a*) adducit.

„ Perſecte catalepticos duos vidi, alterum post alterum, interjectis forte primum inter et secundum octo diebus, quo tempore summum incrementi sui gradum periodus regnantis tunc ſebris rheumaticae attigerat. Pronixos vero catalepsi (quae definiri potest per subitam sensuum et membrorum lapsum, corpore utcunque sano apparente) plures vidi, eosque ex numero rheumaticorum, quales erant illi, in quibus febris apparebat exigua, vires nimium prostratae, oculi patentes ac defixi in unum locum, profunda taciturnitas, cessatio propemodum cogitationum, vertigo deliquio animi proxima, quod levissima ex motione

ne corporis, ac imprimis ex erectione capitis oriebatur, per aliquot momenta. Porro corpus diu quietum uno in cubitu, nutante quasi capite, loquela languida et curta, eaque percunctatione elicita; facies subflava, pulsus pro morbi magnitudine fere naturalis, hoc est, remissus, aequabilis, ac parum celer, qualis in plerisque omnibus fuit sub hac constitutione. Quod ad catalepticos attinet, eorum facies apparebat sana, oculi naturaliter aperti, et nitentes, sed plane immoti. Os aliquantum hians, respiratione libera, et naturali. Omni modo aphonia, et anaesthesia, hoc est vocis et sensuum sensus abolitus. Constans membrorum lapsus, quae, quocunque in cubitu posuisses, manebant. Febris nulla, pulsus naturalis. Uterque autem correptus est derepente, nullo antea morboso incommodo affectus, atque adeo sanus, ut socii ajebant, qui apportabant illos in nosocomium. Ipsi aegri sese omnium, quae secum essent acta, ignaros professi sunt, postquam recuperarant usum sermonis et sensuum. Recuperarunt autem per amplum et forte vesicatorium nuchae appositum, itemque per linimentum

ex

ex spiritu fornicarum, cochleariae, salis ammoniaci, et aqua regin. hungar, quo caput detonsum prius illiniebatur, forti cum frictione, adhibita praeterea hac mixtura:

℞. Spirit. Theriac. dr. ij.
Liquor. C. C. Succin. dr. j.
M.

Pro duabus dosibus, quae infundebatur in os aegrorum, supinato aliquantum capite, dum catalepsis durabat. Duravit autem per unum diem; nam postridie, cum medicamenta adhibui, redibat utrique aegrorum sermo et functio sensuum, ac membrorum, cum aliqua febricula, viribus duntaxat prostratis, quae brevi erigebantur, ita ut septimo die utrumque jam sanum dimisimus ex nosocomio.

Universim, adnotat auctor, videre erat in hac periodo aegrorum complures rheumaticos, quosdam phrenitide non adeo gravi, alios aucta arthritide, nonnullos etiam catoche, seu catalepsi correptos.

Convulsio a *rheumate* in infantibus, tenerioribus, femellis: frequens morbus *b)*.

In constitutione rheumatica anni 1780. convulsiones epidemicae. Nunquam, ait

Stol-

Stollius, tot aegros vidi convulsivos, ac isto mense. Quidam convellebantur tempore febris acutae; quidam data levi occasione, ira, terrore etc. Frequentes quoque hoc tempore choreae S. Viti. Erat universim constitutio rheumatico-inflammatoria, cum insigni in morbos nervosos proclivitate *c*).

a) *Sinopeus.* Parerga med.
b) *Stollius* Rat. med. Vol. V. p. 416.
c) — — — — Vol. IV. p. 80.

Singularem tetani in febre observationem *Swietenius* tradit *a*). Contigit mihi tetanum videre, ait, absque ullo delirio per totum morbi decursum. Sanissima, et optimae temperiei virgo, triginta annos nata, mane surgens, vidit sinistram faciei partem tumere, palpebram superiorem oculi sinistri depressam, angulum labiorum ejusdem lateris sursum rectractum. Cum autem in reliquis omnibus functionibus optime se haberet, et odontalgiae ex cariosis dentibus obnoxia saepe subitos tales tumores faciei experta esset, nihil mali suspicabatur, sed per triduum solidos labores exerabat, quotidie per plateas

in-

incedens. Quarta die me consuluit, et accurato examine nullam causam procatarcticam invenire potui, quamvis aliquid maligni latere suspicarer. Instituta venae sectione satis larga, purgans antiphlogisticum dedi; atque incepit minui his factis faciei tumor, et labii retractio, et palpebra superior magis attollebatur. Verum sexto die febris accessit, et simul sentire incepit insolitam cervicis rigiditatem, et difficulter maxillas ab invicem deducere poterat. Altera venae sectione instituta, mollissimo emplastro cervicem, collum, maxillas tegi jussi, et emollientissimis decoctis totum corpus replere conatus fui. Septimo die firmissime cohaerebant maxillae, et octavo die ad os sacrum usque cum cervice totum dorsum obriguit: et in manibus pedibusque instantis tetani minas sensit: facies turgida et inflata apparebat, febrisque manebat eadem. Undecima die deltoides musculi in utroque brachio tumidi et rigidissimi erant, et mirum in abdomine motum se sentire querebatur; qui dum vel minimum loqueretur, ad cardiam ascendebat: levamen a compressione moderata abdominis percipiebat: dormienti

ma-

manus convellebantur, et oculi miro modo circumvolvebantur. Duodecimo die omnes artus rigidi erant: decimo tertio tensio nuchae incipiebat minui; simul ac dormiturire inciperet, summo cum terrore evigilabat, et in faucibus impedimentum sentiebat, ac difficiliorem deglutitionem. Decima quarta die incepit brachia et collum movere, deglutitio melior erat, dormienti deducebantur ab invicem maxillae; constrictae denuo, simul ac evigilaret. Decima sexta die mirum in abdomine motum percepit cum anxietate, absque dolore tamen; in inguine utraque dolorem molestissimum, dilacerantem quasi sensit; totus truncus corporis tetano rigescebat; crura tamen melius movebat, et maxillas parum deducere poterat; vidique linguam stigmatibus albis, dolentibus obsitam esse. In eodem fere statu mansit usque ad diem decimam nonam: tunc incepit febris augeri, simul pulsus plenior erat, et cutis ubique rorido madore perfundi: artus melius movere poterat, et maxillas plus diducere; sed truncus corporis adeo rigidus manebat, ut, dum in lecto erecta sedere vellet, a binis mulieribus magna vi, et repe-

titis nixibus elevari deberet, sicque corpus antrorsum flecti; quod tamen absque dolore fiebat, licet tanta vis adhiberetur: appetitus insurgebat, liquidos tantum cibos sumere poterat, quia manducatio adhuc molesta erat. In somno tamen oculi rotabantur, et facies distorquebatur. Vigesima die pruritus per totum corpus aderat, et dolor quasi dilacerans in utraque inguine. Vigesima prima die febris minuebatur, omniaque in melius tendere videbantur. Vigesima secunda die circa cardiam molestum dolorem habuit, uti et in dorso ad eandem cum cardia altitudinem. Vigesima tertia die maxillae iterum difficilius aperiebantur, et in solo dextro spinae latere rigiditatem sensit, et dolor ille cardiae evanuerat. Vigesima quarta die dolor a lumbis ad humerum dextrum usque, qui levabatur compresso abdomine. Febris interim sensim decrescebat, uti et rigiditas in dextro spinae latere, sed ingratum stuporem sentire incepit in eodem loco, qui etiam sensim minuebatur. Vigesima nona die febris aderat, optime appetebat, maxillas diducere poterat, et linguam exserere: quae tamen tumida, et ad latus

quasi ulcerosa apparuit. Sensit simul, ac si numerosissimi funiculi in dorso dissilirent, absque ullo tamen dolore: atque quadragesima ab initio morbi die gradus ascendere et descendere potuit: posteaque integre restitutam a tam difficili morbo sana et incolumis jam per triennium vixit.

Toto autem morbi decursu mens perfectissime constitit, et urina copiam sedimenti satis aequabilis quotidie fere deposuit. Posteaquam autem binis venae sectionibus institutis videram, tale adesse febris moderamen, ut a nimio ejus impetu nullus metus esset; blando victu sustinui vires; epispasticis pedibus applicatis impetum a superioribus averti; strictam nimis alvum clysmatibus mollissimis fovi; mollissima decocta, et emulsiones similes dedi, additis subinde lenioribus nervinis medicamentis, et sub finem morbi, cum vigiliae molestae essent, lenibus anodynis somnum conciliari. Magnum commodum dabat, quod per cariosorum hinc inde dentium interstitia potus et liquidi cibi transire poterant, toto illo tempore, quo maxillae pertinaciter claudebantur.

a) In Commentar. ad §. 712.

Febres remittentes a convulsionibus, praecipue in infantibus, exordium ducere, John *Hunter* in Jamaica observavit. Febrem quoque sic dictam *flavam* convulsionibus stipari in infantibus observatum est. Hinc non raro conjectura oriebatur, infantes vermibus laborare. At infaustus successus remediorum anthelminticorum.

Tetanum quoque subinde tanquam symptoma febrium remittentium *Hunterus* observavit. In alio aegro febre jam evoluta, in altero autem mox in febris initio symptoma hoc accessit. Atque in hoc ultimo spasmodica maxillae constrictio aderat, atque omnium articulorum rigiditas, ita ut aeger immobilis statuae ad instar pedibus insisteret. Musculorum autem constrictiones non eodem semper modo se habent; nam etsi nunquam perfecta illorum relaxatio adsit, per vices tamen plus minusve contrahuntur. Cutis pallida esse solet, pulsus celer, lingua, si modo aeger os aperire valet, albida conspicitur. Praeterea anxietas et dolor circa praecordia, caput stupidum, et sudor copiosus, praecipue in facie.

In

In alio homine, quem febris solito more corripiebat, ceplalalgiam diriorem si excipias, ab insolatione ortam, post secundam mox exacerbationem, magnam stupiditatem observavit. Pupillae dilatatio et insensilitas erga lucis radios. Aeger caput continuo circumrotabat, caput manu saepius contrectabat, alta ducens suspiria. Pulsus celer et debilis. Aliquot per dies aeger in hoc statu vixit. In cadavere sex circiter unciae aquae in ventriculo cerebri repertae. Viscera thoracis et abdominis in statu naturali.

a) *Hunter* (John) Bemerkungen über die Krankheiten der Truppen in Jamaica. p. 76.

Electuarium ex farina seminum sinapi et syrupo communi paratum, cujus duo cochlearia caffeana omni bihorio tamdiu exhibuit, quousque fauces et ventriculus id ferrent, *Hunterus* suadet. Semel id medicamentum, hortante *Saunders*, aegro cuidam propinavit. Elapso biduo tetanus cessavit. Aeger os iterum aperire poterat, immobilitas artuum cessaverat, atque hinc ab usu hujus electuarii cessavit. Sed post biduum iterum hoc symptoma; ite-

rato hujus remedii usu iterum, uti videbatur, plurimum mitigatum.

Triplex autem potissimum origo habetur convulsionum in febribus: repletio, inanitio, et nervorum irritatio. Ad primam causarum classem omne id pertinet, quod opplendo vasa systematis sanguiferi universi, aut cerebrum praecipue, inordinatum humorum motum, et transfluxum efficit. Sic observatur frequentissime in junioribus, dum valida febre agitantur humores, convulsiones nasci; etiam in tertiana verna, febrium omnium, si ephemeram exceperis, maxime salutaris, paroxismis, a solo violentiori motu humorum per cerebrum. Quandoque et in ipso initio ingruentis talis paroxysmi convulsio fit, dum celer, parvus, et saepe intermittens pulsus turbatam circulationem satis indicat; adeoque et inordinatum sanguinis ad cerebrum appulsum. Dum nimia sanguinis copia majora vasa distendente, ob plethoram vel rarefactionem comprimuntur tenerrima cerebri vasa, pariter convulsio fit: unde frequens praesagium habetur apud *Hippocratem; capite dolentes, cum catoche delirantes, intercepta alvo, tor-*

vis

vis oculis, facie florida, opisthotonò corripiuntur a). Omnia autem haec signa fere nimiam plenitudinem, et distensionem in vasis sanguines capitis demonstrant.

Verum et nimia vasorum inanitio convulsiones facere potest, sive illam valida haemorrhagia, sive alia quaevis evacuatio humorum produxerit; tunc enim deficit requisita illa pressio in vasa cerebri.

Inter varia irritamenta, quae non raro convulsionum in febribus causae sunt, bilis praecipue circa praecordia haerens, et vermes in intestinorum canali nidulantes, accusari debet. Scimus enim ex observationibus *Wepferi*, venena in ventriculo haerentia diras produxisse convulsiones, cessantes illico, dum vomitu haec excuterentur. Unde patet, convulsiones febriles, aeque ac deliria ac comata, a sordibus circa praecordia haerentibus nasci posse. Sic observavit *Galenus b)*, quosdam homines in febribus repente convulsione prehendi, nullo praecedente initio, quod illam praesagiret: bilioso tamen superveniente vomitu illico liberatos fuisse.

Vermes quandoque morborum febrilium decursum mire turbant. Atque ideo

Stollius c) monuit: cum insolita in febribus symptomata comparent, de vermibus esse cogitandum. *Ballonius* quoque, luculentum hujus rei testimonium affert *d*). Castilius mercator febre laborabat. Apparuerunt symptomata terrifica praeter rationem, et morem febris. Manebat veluti caroticus, aut comatosus. Desperata omnia. Medici nesciebant, quo referrent causam tam saevorum symptomatum. Vocatus *Gorraeus:* quo judicio valebat, praesensit id a vermibus fieri. Contra vermes pugnatum. Cessaverunt ea symptomata. Etiam in viris suspicari oportet de vermibus, ut in pueris.

a) *Hippotratis* Potthat. L. I.
b) *Galen.* de locis affectis. L. V.
c) *Stoll* Rat. med. P. VII.
d) *Ballon* op. T. I. p. 180.

Signa nunc, quae imminentes convulsiones praenunciant, consideremus, quorum maximam partem jam *Hippocrates* solertissima observatione ductus, recensuit.

1) Urina tenuis, aquosa, uti in febribus imminens delirium praenunciat, ita in aliis instantes convulsiones significat.

2)

2) Sudor tenuis. Qui per febres tenuiter exsudant, cum capitis dolore, et alvo intercepta, ad convulsiones proni sunt. Coac. 154. Sudor tenuis princeps signum febrium malignarum.

3) Ferox mentis emotio. Quae sensim feroces fiunt mentis curationes in ferinas evadunt, et convulsiones portendunt. Coac. 155. Quin et convulsiones quoque praenuntiant. Coac. 85.

4) Oculorum hebetatio cum animi defectione promptam convulsionem denuntiant. Coac. 226. Vox acuta, ejulabunda, ac oculorum hebetudo convulsionem minantur. His dolores ad inferiores partes demissi, toleratu sunt faciles. Coac. 257.

5) Faucium dolor. Vehementes faucium dolores aurium tubercula et convulsiones excitant, itemque cervicis et dorsi dolores. Coac. 268. Faucium gracilium praefocantes dolores, ubi ex capitis dolore ortum duxerint, convulsiones adferunt. Coac. 262.

6) Cervicis, ac dorsi perfrictiones, quae etiam totum corpus pervadere videntur, convulsiones denuntiant. Coac. 263. Cervicis cubitorumque dolores, convul-

siones minantur, ex facie autem ad fauces ista procedunt.

7) Lumborum dolor. Lumborum ac tenuioris intestini diuturni dolores, et circum praecordia labores, in aegris una cum febre cibum fastidientibus, eos dolor intensus sd caput progressus, non sine convulsionis specie celeriter interficit. Coac. 417. Lumborum et oris ventriculi dolor, cum forti screatione, convulsionem quodammodo suspectam facit. Coac. 320.

8) Desipientiae cum sopore convulsiones minantur. Coac. 84.

9) Jactatio et inquietudo. In praecipitibus malis, corporis motio, jactatio, et turbulentus somnus nonnullis convulsionem portendit. Coac. 82.

10) Ventris tumor. Temerarii ventris tumores in morbis longis, convulsiones afferunt. Coac. 86.

11) Perfrictio, animi abjectio, praeter occasionem Ex perfrictione mentis, ac animi abjectio, praeter occasionem in convulsionem tendit. Coac. 4.

12) Rigor, pervigilium, delirium soporosum. Qui subinde rigore prehenduntur, et sub noctem aliquando gravi us habent,

bent, pervigiles, in somnis nugantes, ac delirantes, interdum sese lotio perfundentes, ii in convulsionem tendunt. Coac. 20.

13) Pulsatio venarum temporum, faciei rubor etc. Si venae temporum in febribus pulsent, et facies bene habita fuerit, absque praecordiorum mollitie, longum fore morbum sperare oportet, qui nec sine liberali sanguinis ex naribus profusione, aut singultu, aut convulsione, aut coxendi cum dolore, desinet. Coac. 128.

14) Tumor in ulceribus disparens. Quibus tumores in ulceribus apparent, mox valde convelluntur, neque insaniunt. His autem derepente disparentibus, quibus in postica quidem parte fuerint, convulsiones, tetani; quibus vuro in antica, insaniae, aut lateris dolores acuti, aut suppuratio, aut dysenteria, si rubi curdi fuerint tumores. Aph. v. 65. His a Cl. *Nebel* collectis, ex *Hippocrate* effatis, juvat adhuc sequentia addere, quae sagacissimus quondam Clinicus *Brendel a*) inter signa instantium convulsionum retulit.

15) Urinae pelliculosae. Id est, quae veluti squamulas in superficie et per urinam natantes habent, et subsident cum

hor-

horrore i. e. quae aliquid sedimenti praecipitant, dum in aegro vagi horrores, praesertim per exacerbationes, observantur, convulsoriae ab *Hippocrate* vocantur. Quod verissimum, et vel de pavoribus in somno fugacium speciebus convulsionum valet.

16) Spiritum in febribus offendentem itidem convulsorium jure dixit, i. e. quum vel inspiratio, vel exspiratio, in homine praesertim delirante, in medio veluti motu, tanquam obice quodam repentino intercepta. Aph. IV. 68. Aliquid convulsorii et vel tremoris aut manuum, aut tendinum, aut labiorum inde sequitur.

17) Ad hunc offendentem spiritum et illa referenda respiratio, quum aër ore elisus ad labia veluti haeret, et cum labii solius inferioris motu, tanquam per flatum, et quasi aeger flatum quemdam ore emitteret interruptum, exit.

a) *Brendel* Praelectiones academicae Tom. I. p. 120.

De prognosi convulsionum in febribus id in genere tenendum est:

1) Memorabile est, undecunque convulsiones obortae fuerint, plerumque illas incidere in febris exacerbationem.

2)

2) Symptomaticae convulsiones, quo propiores sunt vigori febris, et quo plura ex malis signis simul adsunt, praesertim si deliria, illachrymationes spontaneae, vigiliae diuturnae, et his socia respiratio peripneumonica, in ducendo potissimum spiritu, per musculorum abdominis connixum, praecedentibus itidem manuum tremoribus tendinumque subsultibus, semper funeste sunt. Excipi tamen epilepsia potest, quacum variolae erumpunt, quamquam et haec sequenti tempore varium periculum vitae habere potest.

3) Universim, si convulsio morbos graviores comitatur, semper eorum magnitudinem, vehementiam, materiae morbosae malignitatem, et solidarum partium obluctantium vim intensissimam denunciat.

4) Convulsiones supervenientis rationem habentes, probe dijudicandae.

Singularem nunc convulsionum prognosin a *Stollio* §. 721. facile intelligimus.

1) In encephalitide convulsiones vehementiam morbi significant, neque ulla resolutionis spes superest. Unde *Aetius* de convulsionibus ait: „ Fit autem et convulsio ob excedentem siccitatem: sequitur au-

autem maxime perniciosas phrenitides, tum propter febris vehementiam, tum ob intentos et agrestiores motus. Et ex his, qui sic convulsi sunt, neminem servatum ipse vidi, neque audivi, qui vidisset." a)

2) Hippocratis effatum de periculo urinae albae et tenuis *Galenus* b) confirmat: se nullum phreniticum sanatum fuisse dicit, qui talem urinam emisisset. Idem in alio loco dicit c), si in ardente febre tenuis et alba urina appareat, designat phrenitidem: si vero jam adest phrenitis, et talis urina appareat, praedicimus mortem. „Forte et talis urina exit, quia per morbum laesis cerebri functionibus incipit totum genus nervosum turbari: nam videmus in hystericis et hypochondriacis, dum paroxismus instat, incredibilem copiam tenuis et pellucidae urinae excerni: adeoque talis urina videtur et pessimum signum esse, et simul nocere ut causa, quatenus tunc acria in corpore retinentur.

a) *Aetius* Lib. medicin. Lib. V. c. 131.
b) *Galenus* Comment. in arh. 27. Sect. IV. *Hippocrat.*
c) — — In Libro de urinis. Cap. 4.

3)

3) Ipsa mors instat, dum a magnis evacuationibus convulsio fit. Uti videmus in omnibus animalibus, quae paucis ante mortem momentis validissime convelluntur. Praeterea curatio convulsionis a magnis evacuationibus natae requirit, ut subito reddantur corpori illa, quae perierant. Verum hoc efficere difficillimum est in febricitantibus. Licet enim ingerantur exhaustis talibus aegris optima quaevis, requirunt tamen haec viscerum et vasorum actionem, ut induant humorum nostrorum indolem: cum autem per febres a sanitate multum saepe recedunt omnes, vel saltem plures functiones, patet difficultatis ratio. *In copiosa sanguinis fluxione, aut singultus, aut convulsio malum derenuntiante Hipp.* Coac. 338. Quandoque cerebro per febres affecto delirium adest, illibata manente motuum muscularium exercitate: aliquando etiam et convulsiones absque delirio in febribus observantur, quamvis rarius. Plerumque enim delirium adest simul, vel saltem convulsiones antecedit. Si leve delirium sit, et per intervalla, minus malum est: ubi vero perpetuum delirium convulsiones comitatur, novi-

vimus cerebri omnes actiones turbari, adeoque summum discrimen adesse.

4) Si convulsio pluribus iisque gravibus symptomatibus e. g. cephalalgiae, cardialgiae, etc. jungitur, morbi vehementiam inde cognoscimus. *Desipientiae cum sopore periculum minantur. Hipp.* Coac. 84. *A vigilia convulsio aut delirium malum.* Id. Aph. VII. 18. In febribus acutis convulsiones, et circa viscera dolores vehementes, malum. *Hipp.* Aph. IV. 66.

5) Superveniens dysenteriae convulsio gangraenam praenuntiat.

6) Frequens observatio est, a miliaribus, variolis, morbillis retropressis, perfrigeris, medicamentis externis repercutientibus, convulsiones oriri. Nisi itaque cito exanthemata haec iterum ad cutis superficiem revocentur, summum periculum instat.

7) Minus periculi hystericorum et hypochondriacorum convulsiones habent. Hystericas mulieres videmus aliquando quibusdam contractiunculis capi, quae non sunt malae, et de genere verarum contractionum, affecto nervorum principio *a*).

a) *Ballonii* Op. T. I. p. 81.

Cum

Cum ex dictis patuerit, diversissimas, imo oppositas omnino causas convulsionis febrilis observatas fuisse, necessarium erit, illas sedulo investigare, ut cum fructu medela applicari possit. A nimia enim repletione aeque ac ab inanitione vasorum, convulsio fit, adeoque quod in uno casu sanationem, in altero saepe mortem faceret. Simul etiam requiritur, ut cognoscatur locus primario affectus: an nempe in cerebro ipso topica causa haereat, an vero in aliis corporis locis adsint talia, quae nervos irritando cerebrum afficiunt: in tali enim casu frustra capiti medicina fieret. Dum v. g. bilis actiones cerebri turbat, vomitorium talem convulsionis causam tollit cito: ubi vero cerebro sanguine immeabili turgente, idem symptoma adest, vomitu augeretur malum: dum inter vomendi conatus manifeste videmus sanguinem majori impetu et copia caput petere. Signa autem in praecedentibus recensita fuerunt, quibus variae convulsionum causae distingui poterunt, et detegi locus, in quo haeret origo mali. Hoc facto, et non prius, de medicamentis cogitandum est: in quibus ergo pro va-

rietate causarum et loci affecti, magna diversitas requiritur. In genere tamen statuere possumus, quod prosint illa, quibus acre leniri, impacta resolvi, contractum laxari possit. Excepta enim illa convulsionis specie, quae a subita et magna vasorum depletione fit, et solis replentibus curatur, haec remedia semper locum habent: habita tamen ratione singularis acrimoniae, et variae indolis illius, quod impactum vasorum angustiis haeret. Sic enim in junioribus, solo lacte fere viventibus, colostrum caseosum in ventriculo vel intestinis haerens, atque in acidam acrimoniam degenerans, irritando nervosam ventriculi et intestinorum fabricam, convulsiones producit. Sapo venetus solvendo haec coagula, absorbentia terrestria enervando acidam illam acrimoniam, lenia purgantia, quandoque et vomitoria, excutiendo hanc saburram adeo prosunt. Ubi vero putridi humores, sive ante febrim praeexistentes, sive febris tempore, aut per febrim nati et collecti, circa praecordia fluctuant, purgantia quidem et vomitoria prosunt, vera putrida illa acrimonia acidis emendatur felicissime, quae in

priori

priori casu nocuissent. Sic alia remedia requiruntur, dum sanguis densitate inflammatoria cerebri vasis impactus haeret, quam si frigidi et mucosi humores, per febrim moti simile obstaculum fecerint, uti in leucophlegmatia et senibus quandoque fit. Spasmo autem contracti partibus, laxantia imprimis conducunt.

Hinc diluentia humores ad facilem meabilitatem disponendo, omnem fere acrimoniam enervant, et vasa sic laxant, ut facilius transmittant liquida, urinae et sudori vehiculum praebent, ut commode per has vias de corpore exire possint nocitura. Omnia simul lenientia, decocta ex emollientibus herbis parata, emulsa farinosa, olea pressa blanda, victus ex hordeo, avena, oleribus mollissimis, pariter hic conducunt: quatenus per haec blandis liquidis corpus impletur, omnis acrimonia obtunditur et enervatur, simulque omnia vasa laxantur.

Illa autem, quae copiam et impetum humorum a capite derivant versus alia loca corporis, revellentia dicuntur: aguntque vel minuendo vasorum resistentiam in illis locis, vel augendo celeritatem mo-

tus humorum in iisdem. Balnea hinc pedum, epispastica, frictiones, clysmata mollissime saepius applicata, tanti usus sunt.

Ex omnibus illis evidenter apparet, nullum dari remedium antispasticum universale; sed decantatissima quaevis talia, vel omnino nihil efficere, vel nunc prodesse, nunc nocere, pro varietate causarum, a quibus convulsio ortum duxit.

Plethoricum juvenem, in febre acuta convulsum, depletio sanat; immodicis vero evacuationibus exhaustum curat repletio. Dum topica inflammatio cerebri acutam febrim comitatur, et convulsionem facit, venae sectio, et alia remedia, quae febrilem impetum compescunt, optima sunt, et contra monuit *Hippocrates a*), *quod convulsionem solvat febris superveniens acuta, quae prius non fuit; si vero fuerit prius, jam exacerbata.* Sic et alibi habetur: *Convulsiones aut tetano laboranti febris succedens morbum solvit b*). Observavit *Sydenhamus c*), infantes saepius convelli in primo stadio variolarum et morbillorum, antequam nempe per febrim versus corporis superficiem protrudatur morbi materia, monet-

que

que millenos periisse, dum clysmatibus saepe repetitis, aliisque evacuationibus, medici curam tentarent: sic enim deprimebatur febris, per quam variolarum et morbillorum eruptio promoveri debebat, et qua eruptione facta illico cessabant hae convulsiones. Pater ergo, nullam fidem adhiberi posse speciosis antispasticorum remediorum titulis. Si enim examinetur ingens similium farrago, quae ab autoribus laudantur, patebit, plurima ex illis acidum absorbente vi praedita esse; unde etiam infantibus, ab acido convulsis, prosunt: qualia v. g. sunt pulvis marchionis, mater perlarum, margaritae etc. quaedam omnino inertia videntur, ut rasura eboris, cornu cervi etc.; combusta enim in calcem acquirunt vim acida absorbendi. Alia iterum, in convulsionibus hystericis optima quidem, stimulante et calefaciente vi febrilibus convulsionibus saepe nocent, imprimis ubi inflammatoria sanguinis spissitudo, vel nimius impetus febrilis adsunt: uti v. g. spiritus cornu cervi, sales volatiles oleosi, castoreum etc. Absorbentes illi pulvisculi, et specifica illa ex ungulis alci parata remedia, tuto quidem exhibe-

ri possunt, et imo saepe debent, ut aegris vel adstantibus satisfaciat medicus, nihilque ab illo neglectum videatur, cum plenis buccis saepe alii, in consilium vocati, haec extollant, imprimis in *aulis*; cavendum tamen, ne his adhibita fide negligantur alia longe efficaciora remedia; atque multo magis adhuc, ne in usum vocentur talia, quae ex cognitione causae singularis convulsionis febrilis nocitura novimus.

a) *Hippoc.* Coac. Praenot. No. 355.
b) — — Aph. 57. Sect. IV.
c) *Sydenham.* in Diss. epistolari.

Cum autem multo in arte exercitio opus sit, ut veram et auferibilem convulsionis febrilis causam internoscamus, *Brendelii* monitum non pauci medicorum sibi ipsismet dictum esse, utinam persuaderi possent! Ait enim ille: „ ridiculum est cum quibusdam auctoribus de tollendo irregulari influxu liquidi nervei, quem vocant, cogitare. Nisi somnus, et delirii, et convulsionis, cum bonis signis, finem faciat, plerumque citius vel tardius mors consequitur, Tiro practicus applicabit hic eadem revellentia, quae capite de deliriis

sunt

sunt commendata: perget *temperantium* tramite, *vespertinis emulsionibus*, ut in delirio febrili, somno conciliando studebat, utque *alvus blande* respondeat, curabit, *prudenter* etiam aliquando juncta temperantibus *camphorata*, forma praesertim emulsionum, tentabit. Exercitatior dispiciet, an aliqua ex missione sanguinis praesidio exspectare liceat. Convulsiones supervenientes, praesertim ex dentitione, aut alia graviori causa (neque enim hystericae, nisi gravissimae, medicamento egebunt), tractabit itidem revellentibus, alvo aperta, et si per alias causas liceat, generosioribus exercitatioris practici remediis jam appellatis." *a*)

a) *Brendel*, Praelect. Tom. I. p. 120.

COMA FEBRILE.

Comatis vox simpliciter sumta apud *Hippocratem* significat propensionem in somnum gravem, et saepe vigiliis opponitur; ubi vero cum comate vigiliae aderant, coma vigil, vel non somnolentium dixit. Unde postea distinctionis causa soliti fuerunt medici κῶμα κωματῶδες, vel

 ὑπνοδες

ὑπνοδεις vocare, quando in morbis adest proclivitas perpetua in somnum profundum, vix cohibenda, ita tamen, ut homo inde excitari possit per validos stimulos, sed mox iterum in somnum elabuntur. Κῶμα ἄγρυπνον, seu *coma vigil*, dixerunt, quando aegri somnolentia insuperabili laborant, verum in ipso quasi somni limine horrendis somniis perculsi mox evigilant summo cum terrore, et saepe cum convulsionibus, moxque iterum in priorem somnolentiam relabuntur. Molestum saepe adeo hoc malum est aegris, ut amicos rogent, ut curam habere velint, ne obdormiant postea Junioribus ad septimum vel octavum aetatis annum usque frequens hoc malum, dum febribus sive continuis, sive intermittentibus laborant. De binis illis comatis, sive cataphorae speciebus agens *Galenus a*), optime sic illos distinxit: „ Commune enim ambarum est, quod tollere non possint oculos, sed mox graventur, et dormire velint. Proprium vero alterius, quod illi statim dormiant profunde et diu: hi vero vigiles versent se, alia super aliam phantasia superveniente, et mentem movente, et somnum intercidente: unde semper

per quidem vigiles manent, surgere vero non possunt, et agere illa, quae vigilantium, sed deficiunt magis, quam si vigilarent, et gravantur, et cataphora tenentur, ut speres, si concesseris eis, facile dormituros: concesso autem iis hoc, nedum dormiunt, sed ne spem quidem, quam habebant ut dormituri, servant. "

a) *Galenus* de Comate Cap. I.

Sed plurimae, et diversissime causae, imo quandoque omnino oppositae coma possunt producere, quas tamen ad generalia capita reduci possunt. Atque huc primo vehementes evacuationes pertinent: quatenus nempe per illas sic minuitur humorum circulantium moles, ut deficiat copia liquidi arteriosi ad cerebrum appellentis. Post validissimas narium haemorrhagias, et dum post abortum, vel et partum, sanguis aliquando per patula uteri vasa de corpore exit, saepe hoc symptoma observatur. Sic videmus jugulata animalia, dum omnis fere sanguis effluxit, stertere, et paulo post validissime convelli. Idem etiam a quibuscunque aliis evacuationibus per alvum, vomitum etc. contingere po-

 test;

test; uti in cholera imprimis observatur: in quo morbo sursum et deorsum summo cum impetu ingens humorum copia expellitur, et saepe paucarum horarum spatio robustissimi hominis corpus totum exhauritur. Altera causarum classis est repletio. Hinc plethoricis coma frequenter accidit. Huc etiam pertinent omnia illa, quae humores majori copia versus caput urgent: ut repletio nimia ventriculi, qui tunc spasmodice clausis suis orificiis, a contentorum rarefactione distentus comprimit aortae descendentis truncum et vicina viscera, sicque efficit, ut majori copia et impetu sanguis per ramos cortae superiora petentes pellatur. Varia deinde humorum vitia huc pertinent, quae ob immeabilitatem per vasa cerebri, illa comprimunt. Tandem etiam omnes causae cerebrum comprimentes huc referendae sunt, si nempe cerebrum compressum fuerit a calvariae intropressione, vel humoribus extravasatis; statim enim tunc sequuntur hebetudines, sopores, vertigines, deliria, et omnium functionum animalium laesiones, ad lethalem apoplexiam usque.

Hip-

Hippocratica de omni sopore praesagia sequentia sunt.

1) Soporem ubique malum esse.

2) Soporosi in principiis, cum capitis, colli, praecordiorum, dorsi dolore, deinde vigiles, phrenitici sunt.

3) Soporosi ab initio torpidi, sudantes cum urinarum coctarum tempestivo simulacro, modo perfrigescentes, et vicissim incalescentes, perniciali, et saepe exanthematica, vel cum febre miliari conjuncta phrenitide detinentur.

4) Omnibus soporosis, torpidis liquida et spumosa alvi egestio pessima.

5) Ubi vero circa vigorem soporosi cum surditate, phrenitidis symptomaticae indice, redditi fuerint, si alvo erumpente, et sanguis copiosus prodierit, quin et urina copiosa mittatur, valde prodest.

6) Mitior, sed tamen anceps non nihil soporis species est, quae tumorum juxta aures, vel abscessuum ad parotides, cum praecordiis dolorosis, anxietate, crebris et parvis sputis, sine deliriis tamen, sal-

tem

tem sine gravioribus; nuncia esse solet *a*).

a) *Brendel* Praelect. Tom. I. p. 115.

Patet ergo ex ante dictis, ut debita cura adhibeatur comati febrili, prius sollicito examine esse indagandam causam, unde symptoma hoc febrile ortum duxerit: nam pro varietate causae saepe diversa, imo et quandoque opposita medela requiritur. Si enim v. g. post validas evacuationes coma nascatur, blanda replentia sola prosunt: contra vero in homine plethorico, vel ubi per validum calorem febrilem rarefacti humores vasa cerebri nimis distendunt, sanguinis missio etc. juvant, quae in priori casu pessime nocuissent. Sic etiam longe alia remedia requiruntur, dum frigidus lentor sanguinem immeabilem fecerit, quam si inflammatoria spissitudo in culpa fuerit. Nulla ergo generalis curandi methodus tradi poterit, sed totum hoc a cognita prius causa singulari hujus mali pendet.

Pulcherrima illa, quae modo dicta sunt, confirmantur observatis *Sydenhami* *a*). In febre nempe epidemica coma somno-

nolentum aderat, quandoque et lene delirium coma illud praecedebat; neque leve erat coma, nam aegri quandoque ad aliquot septimanas dormiebant, nonnisi validis clamoribus expergefacti, mox iterum in soporem relapsi. Cum autem atrox capitis dolor, et laterum dolores saepe accedentes, et sanguis emissus pleuriticorum sanguini similis, docerent, inflammationem non mediocrem huic febri adesse, ut morbum inflammatorium tractavit. Verum intensissimus cum esset, magnus ille vir ad *juvantia* et *nocentia* in morbis, observavit illico, non posse adeo largam sanguinis evacuationem ferre hunc morbum, quam quae pleuritidi convenit. Unde post unicam venae sectionem clysmata injici curavit quotidie, ut nimirum impetum febrilem temperaret, simulque materiam febrilem, quae in hoc morbo tam prompte caput petebat, inde diverteret. Emplastra epispastica satis ampla cervici applicari curavit, simulque victum et medicamenta refrigerantia dedit; hisque facis dicit morbum quasi naturaliter et sponte sua cessisse, quantumlibet etiam saeviret, et diversa ab hac methodo quis illam aggrederetur,

tur. Clysmata autem adhibuit tantum singulis diebus, donec remitteret morbi vis, postea enim haec supervacanea esse invenit, morbumque suo uti genio, et quasi sensim deflagrare, ac suis viribus ruere permisit. Quamvis autem in febre hac comatosa, convalescentiae praenuncia signa plerumque ad trigesimum diem differrerentur, post decimum quartum diem tamen nullam amplius moliebatur evacuationem, nec clysmata dabat, imo vix ulla remedia, nisi amicorum aegri importunitas innocuum aliquod julapium extorqueret. Victum tantum tenuem dabat, et curabat, ut aeger quotidie aliquot horis lecto abstineret; vel si id vetaret major ejus debilitas, vestes saltem indueret, et super lectum cubaret, capite paulum elatiori. Primum autem fere morbi recedentis signum erat, quod aegri incongruum aliquod atque absurdum, sive cibi, sive potus genus importune flagitaret, quod et concedere solebat, licet minus convenire videretur.

Curandum autem sedulo, ne comatosi tales aegri a decubitu diuturno gangraenam habeant in illis partibus, quae a pon-

dere

dere corporis maxime premuntur, quod impeditur, si situs corporis mutatur saepius, et alutae mollissimae nudo corpore incumbant.

Cum autem a similibus causis coma fere oriatur, ac delirium, atque observetur saepe delirium praecedere, comitari, vel et sequi quandoque coma febrile, patet illa, quae in delirii curatione laudata fuerunt, hic quoque prodesse; habita semper ratione causae cogniti hujus mali, et genii febris epidemicae, cujus coma est symptoma. Anodyna tamen, quae in delirio curando, prudenter, et debito morbi tempore adhibita, prosunt, rarius hic usum habent; vixque adhibentur unquam, nisi aliud quoddam symptoma hoc postulet. Sic *Sydenhamus b*) illorum usum damnat in febre illa comatosa epidemica, quam descripsit: ubi tamen dysenteria, aut et diarrhaea accederet huic morbo, ut quandoque fiebat, dabat narcotica, ut haec symptomata nova compesceret; si nempe adeo vehementia essent, ut vitae periculum inde aegris immineret. Ubi autem coma a nimia velocitate motus circulatorii in morbis aderat, tunc et ausus fuit anodynis fu-

ri-

ribundum illum orgasmum compescere *Sydenhamus*; in febre nempe illa secundaria variolarum confluentium, quae a resorptis putridis illis et gangraenosis fere humoribus ortum ducit.

a) *Sydenhamus* Sect. V. Cap. 2.
b) Ibid.

PERVIGILIUM FEBRILE.

Quamvis vigiliae a dolore, anxietate, validis animi affectibus etc. produci observentur quam certissime; pervigilium tamen tanquam symptoma ta febrile consideratum, ab alia etiam persaepe causa pendet. Quando nempe a velociori motu humorum per cerebri vasa, determinatione impetus versus caput, aut incipiente humorum immeabilitate, levissimae inflammationis primum initium in cerebro nascitur, per quam sic tenduntur omnia vasa, ut facillime ab objectis externis cerebrum affici possit; vel talis irritatio ab eadem causa continuo fit in sensorio communi, ut somnus obrepere nequeat. Requiri enim determinatum impletionis et tensionis vasorum encephali gradum, ut sensuum et motuum exerci-

tationes fieri possint, adeoque vigilet homo, patet ex eo, quod nimiam inanitionem assidua somnolentia sequatur. Illa autem tensio et impletio parum major videtur in febribus pervigilium facere: eadem vero aucta, comprimendo, tenerrima, et minima illa stamina, a quibus sensuum et motuum exercitatio pendet, coma somnolentum efficit.

Sic videmus, dum inferiores corporis partes frigent, somnum impediri, ob nimium raptum humorum versus caput. Tepidis aquosis potibus sumtis vespertino tempore, in multis hominibus somnus impeditur, plus distentis vasis aucta liquidi copia: a fermentatis vero liquidis, ut vino, cerevisia generosiori etc. majori copia sumtis, cum calore corporis haec magis rarescant, adeoque vasa plus distendant, profundus saepe somnus oritur. Unde et in morbis acutis, dum salubris et critica narium haemorrhagia futura est, vigiliae saepe praecedunt delato nempe majori impetu et copia sanguine versus caput: unde tunc plerumque capitis dolor, cervicis tensio, oculi rubri etc. observantur: per quae signa asserti hujus veritas

confirmatur, atque ideo *Hippocrates* a) vigilias inter haemorrhagiae futurae signa numerat.

a) *Hipp.* Praenot.

Ad prognoses de pervigilio potissimum haec referenda.

1) Generatim optimum esse, si quis noctu dormiat, interdum vigilet, multoque pejus habendum, atque aut phreniti. dis, aut febris longae indicium esse, si quis interdiu dormiat, noctuque vigilet: malum in genere *Hippocrates* recte dicit.

2) Probabile est, si quis, qui noctu non dormivit, mane dormiat in bonam dieî partem, neque pessimi ominis.

3) Sed nunquam dormire, neque diu, neque noctu, longe pessimum est, nec fieri potest, quin deliria consequantur, eaque plerumque lethalia.

4) ut omne ex *pervigilio delirium* pessimum, et plerumque deploratum esse solet.

5) Nullum generatim pervigilium febrile, quod in tertiam diem jam productum est, suspicione caret, metuque hujusmodi deliriorum a).

a) *Brendel* Praelect. Tom. I. p. 99.

6)

6) Vigiliae, quae adsuetos, hypochondriacos, hystericas, cruditate, podagra, morbo articulario laborantes, vel dolore ac convulsione fatigatos exercet, vel ineunte phrenitide incidit, mala non est, nisi diutius substiterit: nam sublata caussa, effectum tolli necesse est. Contra si ferventiorem humorum motum, et irritamenta assidua sequitur, gravis morbi periculum est, et viribus aegri in dies magis magisve consumtis, exitium certum. Furiosi tamen, et melancholici citra multam debilitatem vigilias quam diutissime sustinere possunt; itemque ut senibus magis adversus somnus est, ita vigilia immoderata juvenibus et febrile delirium fere praecurrit, cum maxime in morbis putridis *a*).

a) Ill. *Gruner* Semiotic. p. 267.

Huc etiam pertinent *insomnia*, quibus somnus aegrorum multifarium turbari, viresque vehementer debilitari solent. Hinc semper intempestiva et mala sunt, quoniam debilitatem, lassitudinem, et gravitatem corporis universi, oculorum hebetudinem cruditatem etc. inducunt, et pro causa diversa, unde proficiscuntur, san-

guinis profluvia, delirium, phrenitidem et materiae morbosae migrationem portendunt.

Possunt vero ista insomnia aut grata esse, aut ingrata. Illa, praesertim si post somnum justum, et mane accidunt, et voluptate quadam, suaviorique imagine aegri animum permulcent, corpus quodam modo excitare, atque recreare posse videntur; haec vero, quae sub incendiorum, hostium armatorum, sanguinis profusi, inundationum, fluminum trajiciendorum, spectrorum, monstrorum immanissimorum et foedissimorum etc. specie obversantur animo; indicant haud raro humorum copiosorum, et pernicitate incredibili ad caput delatorum congestionem, aestum perinsignem, deliria portentosa, et difficilem morbi judicationem; interdum inflammationem et sphacelum importunum, sanguinis expulsiones, convulsiones. Quae somnia eo periculosiora putantur, quo magis oculis vix clausis, insurgunt, et quo facilius aegri sub primum somnum expergiscuntur.

Porro somnia turbulenta, quae in febribus intermittentibus cum terrore atque an-

angore incidunt, febrem diuturnam et gravem: in acutis vero stimulum et irratamentum novum, molestias multas, refectionem nullam, res aegri ad incitas redactas et desperatas nunciare dicuntur: At vero si crebra et delassantia tabidos occupant, mali exacerbationem, et mortem propinguam. Denique ut insomnia, quae deliriis insunt, salutarem morbi judicationem spondent, ita in febribus peracutis ea, in quibus aegri comate oppressi, et veluti perterrefacti subito expergiscuntur, iterumque soporantur, non leniter terrere debent a).

a) Ill. *Gruner* l. c. p. 270.

Bina imprimis in cura pervigilii febrilis commendantur: primum est, ut apta medela tollatur cognita causa hujus mali; alterum est, ut vigilantibus aegris subministrentur talia, per quae novimus etiam sanis hominibus somnum conciliari posse. Spes enim est, ut per illa somnus subrepere possit, licet nondum penitus ablata esset causa pervigilii: adeoque per haec saltem metuendi vigiliarum diuturnarum effectus caveri possunt, dum interim non

negliguntur illa remedia, quae causis pervigilii tollendae sufficiunt.

Breviter optimam medendi methodum *Brendekus* his verbis complectitur: „Quae pervigilio febrili occurrunt, optime illam indicationem sequuntur, partim dolori capitis idiopathico communem, ut vis pressioque sanguinis, quantum fieri potest, a capite divertantur, partim quae relaxando et demulcendo humectandoque, non vero per opiata somnum conciliare annitiur. — De *opiatorum* autem usu sequentia addit: „Ab opiatis meo judicio penitus abstinendum, saltem nondum exercitato, etsi sint, qui non solum ore capienda, sed etiam per clysteres admovenda, et hoc quidem apprime modo, mirum in modum commendent. Anceps hic in genere remediorum hujusmodi usus est, etsi, quando exspectationem sustinerunt, in febre leniori, et quo carere iisdem licuisset tempore: certum vicissim est, pessima symptomata, et praesertim coma sic dictum vigil, quin gravissima deliria produxisse. Est enim in omni diuturniori pervigilio quaedam jam imminens veluti cerebri et meningum inflammatio, gravior praeposte-

stero opiatorum usu futura. — Paucis: in pervigilio febrili post ordinarium tramitem tutissima omnium sunt pediluvia, revellentia alia mitiora, alvus demulcenti clysteri respondens, amygdalina, et tandem papaveracea vulgaria. " a)

a) *Brendel* Praelect. Tom. I. p. 99—102.

SUDOR FEBRILIS.

Notum est, quandoque materialem febris causam per febrim ipsam subigi, solvi et mobilem reddi: sic tamen, ut tunc adhuc retineat aliquam dotem, quae aequabili circulationi repugnet: unde sensibili quadam evacuatione expellitur de corpore. Inter has evacuationes etiam locum habet illa, quae per sudores fit. Talis autem sudor bonus semper est, et criticus dicitur. Ille autem sudor febrilis, de quo hic agitur, symptomaticus est, et semper fere mali ominis: quia per illum parum, vel nihil tollitur de causa materiali morbi, sed tenuissima sanguinis pars difflatur. Criticus autem ille sudor rarissime in principio morbi contingit, utpote naturae vin-

centis morbum effectus, adeoque tantum declinante jam morbi impetu, exspectari poterit.

Optime autem distingui poterit sudor symptomaticus, quod absque coctionis signis praegressis, cruda adhuc morbi materie, primisque morbi diebus exprimatur: criticus autem post coctionem praegressam et serius; habita tamen ratione velocitatis majoris minorisve, qua morbi decursus absolvitur.

Causa autem talis sudoris triplex est, vel enim 1) vasorum, sudorem in superficie cutis eructantium, extrema laxiora sunt: adeoque facilius cedunt liquidis impulsis; 2) vel per vehementiorem circulationem ad organa haec secernentia et excernentia, eodem dato tempore, major liquidi copia applicatur; 3) vel denique aquosa et tenuissima sanguinis pars, reliquis minus cohaerens, facilius separatur. Possunt autem jam hae caussae adesse solitariae, vel et unitae majorem effectum producere.

Solam majorem vasorum laxitatem vasorum illorum sudorem facere, directis experimentis novimus. Dum enim homo robu-

bustus et sanus nudato corpore vapori aquae calidae exponitur, brevi sudoribus diffluet: uti in cura luis venereae per sudores fieri solet. Dum in lecto, stragulis tecto corpore, tota cutis in proprio quasi vaporis balneo haeret, tam facile sudor elicitur. Contra vero frigore majori aëris cutanea vascula constringente, sudor vel non, vel saltem difficilius longe, erumpit licet validis etiam corporis motibus se exerceat homo. Patet hinc ratio, quare per sudorem ipsum corpus saepe sic disponatur, ut postea a levi etiam causa sudoribus nimiis diffluant; quia nempe calido sudore nimis debilitantur cutanea vascula. Mirum tale exemplum habet *Tulpius a*) de virgine, quae ab ineunte aetate, ob sudores praegnanti matri crebrius motos, tam pervia et patula habuit, haec cutis spiracula, ut continenter fere maduerint; et quidem tanta copia sudor exibat, ut quotidie ter vel quater indusia mutare cogeretur. Continuato hoc sudore magis adhuc debilitatis vasculis cutaneis, per septem amplius annos pertinax mansit malum, licet remedia convenientissima adhiberentur.

a) *Tulpius* Observationes med. Lib. III. Cap. 41.

Cruoris autem vehementiorem circulationem sudorem facere novimus: cum per solum motum muscularem validum, aucta circulationis velocitate, etiam gravissima hyeme, sudor copiosus exprimi possit.

Verum et facilis aquae ex reliquis sanguinis principiis expeditio merito inter sudoris febrilis causas recensetur. In omnibus tamen hominibus non est aequalis cohaesio aquae cum reliquis partibus sanguinis; adeoque nec aeque facilis separatio. Dum quotidianis laboribus exercitato homini sanguis de vena mittitur, in unam massam solidam coit totus, neque tenuior pars a crassiori secedit, nisi post multas saepe horas, et adhuc parca saepe copia. Ubi vero examinatur in simili casu sanguis delicatae, et in otio degentis puellae, statim ingens copia tenuioris liquidi a parte sanguinis crassiori secedit. Simul etiam constat, dura illa, et exercitata corpora vix sudare, nisi a validis laboribus; cum tenerae puellae a minimo saepe corporis motu diffluant sudoribus. Valida enim fortium vasorum, et viscerum actione videtur aqua intime adunari

re-

reliquis sanguinem constituentibus principiis, atque longe magis cohaeret.

Multi medici fuerunt quondam in illa opinione, per sudores in morbis acutis expelli materiam morbi posse, si non integre, saltem pro parte; adeoque semper morbi vehementiam illis minui; imprimis cum in peste, et paucis aliis morbis, volatile miasma quandoque hac via exiret; et leviores quidam morbi febriles, ex sola corporis perspiratione impedita nati, sudore orto, sanarentur quandoque felicissime. Contemnebant autem illud periculum, quod a difflata tenuiori sanguinis parte jure metuendum erat, dum putabant diluentibus aquosis potatis, facile restitui posse illud vehiculum sanguinis, quod perierat. Verum ingestis aquosis potibus efficere quidem possumus, ut illi venis recepti cum sanguine fluant, verum adunatas simul sanguinis moleculas per vim morbi, et defectum tenuis liquidi illius sua interpositione a concretione prohibentis, resolvere difficillimum est; imo et quandoque penitus impossibile. Haeret enim sanguis, sic immeabilis redditus, in vasorum arteriosorum angustiis, adeoque diluen-

luentibus accessus fere negatur. Sic videmus sanguinem recens de vena missum, facillime aqua tepida dilui posse; ubi semel vero concreverit, integra resolutio illius concretio fieri nequit. Hinc apparet ratio, quare quandoque in acutissimis morbis absque ullo levamine ingens copia diluentium potetur; dum funesta illa tenuis et aquosa urina, magna saepe copia emissa, docet, ingestam aquam intime sanguini misceri non posse, sed statim inde iterum separari, adeoque per urinae vias expelli. Unde brevi deliria, comata, convulsiones, et lethalis peripneumonia exspectanda erunt. Facile patet, omnia eadem mala metuenda esse, dum per sudorem ingesta diluentia statim difflantur. Augebuntur vero omnia haec mala, dum sudores in morbis acutis exprimebuntur per calida et acria remedia, ut theriaca, croco, salibus volatilibus oleosis etc. interimque ab omni saepe potu arcebantur aegri, ne nempe talium remediorum exhibitorum efficacia debilitaretur. *Sydenhamus* generoso ausu primum huic torrenti se opposuit, et perniciosam hanc medendi methodum gravissimis argumentis debellavit;

illi-

illique contrariam, felici in periculosissimis etiam morbis eventu, stabilivit.

Hinc patet, sudorem in initio febrium acutarum nocere, adeoque cohibendum esse: nondum enim tunc materia febrilis, quae per febrim ipsam, debito moderamine limitatam, subigi et meabilis reddi debet, sic disposita est, ut per hanc viam aliminari possit. *Sudor una cum febre ortus, in acuto morbo malus est a*). Et *Celsus* ubi de sudore agit, monet, duobus illum modis provocari posse, aut sicco calore, aut balneo. Addidit autem, a sudore per siccum calorem provocando cavendum esse, ne quid horum vel in febre, vel in cruditate tentetur *b*). Et alibi jussit, ut febre jam satis finita, vel decrescente, si signa doceant, sudorem venturum esse: tum demum dare potui calidam aquam, cujus salubris effectus est, si sudorem per omnia membra diffundit. Hujus autem rei causa, continere aeger sub veste satis multa manus debet; eademque crura pedesque contegere: qua mole plerique aegros in ipso impetu febris, potissimeque ubi ardens est, male habent *c*).

a) *Hipp.* Coac. Praenot. N. 574.

b) *Celsus* Med. Lib. II, cap. 17.
c) Idem Lib. III. cap. 6.

Excipiuntur tamen illi morbi, quorum materia adeo tenuis et mobilis est, ut primo sudore difflari possit; tunc enim prosunt et in ipso morbi initio sudorifera data. Illud autem in peste, et febribus pestilentialibus obtinere imprimis observatum fuit. Unde et *Sydenhamus*, qui in aliis morbis sudorifera damnabat semper, monuit tamen insigniter profuisse in febribus pestilentialibus. Dabat enim tunc bolum sudoriferum ex theriaca, electuario, de ovo, croco etc. cum aliquot cochlearibus mixturae aromaticae, deinde stragulis obruebat, sicque sudorem provocabat. Quin imo, si molestus vomitus impediret, ne haec sudorifera assumi possent, vel assumpta retineri, solo stragulorum pondere sudorem expressit, qui dum manare inciperet, illico sedabatur vomitus. Sudorem autem inceptum sustinebat, per integras viginti quatuor horas, potu liquidi tenuis, et leviter aromatici; si vires languerent, jusculis reficiebat aegros. Observavit autem posterioribus horis manare sudorem magis naturalem, et criticum quasi;

si, copiosum, et cum summo levamine. In mirabili illo morbo, qui Ephemera Britannica, vel et sudor anglicus vocari solet, ipsissimo morbi invadentis initio, calidam quasi auram per membra discurrere sentiebant aegri, atque illico subitus et largus sudor manare incipiebat *a*), qui si impediretur profluere, actum erat de vita; nullique tuto evadebant, nisi per viginti quatuor horas talem profusum sudorem paterentur. Si citius desineret, brevi recidivam habebant, vel in difficiles morbos incidebant *b*). Cum autem momento ante sanos inopinato corriperet periculosissimus ille morbus, ne quidem licebat tuto vestes exuere, sed eodem momento debebant decumbere, *cogebantur* se ibidem continere, praeter faciem nihil aperire, nec membra jactare. Si vero sanos in lecto decumbentes invaderet *morbus*, quin viri, si binos in eodem lecto simul corriperet morbus, non licebat mutare cubile, sed magno cum incommodo sub iisdem stragulis molestissimos hos sudores pati debebant *c*). Cum autem in vigore delirarent saepius aegri, custodes appositae sollicite cavebant, ne corporis quandam partem prae-

sen-

senti mortis periculo nudare possent aegri. Imo nec alvi, nec urinae necessitas permittebat, ut in lecto erigerentur, sed linteis subductis excipiebantur haec excrementa *d*). Tanta requirebatur cura, ut vitari posset sudoris suppressio, quam mox tumor lividus corporis, et sensus quasi acicularum sub cute pungentium sequebantur, una cum praesentissimo mortis periculo.

a) Joh. *Caji.* de Ephem. Britann. p. 23.
b) Ib. p. 128.
c) Ib. p. 108.
d) Ib. p. 128.

In illis ergo morbis solis aliquid boni a sudoribus statim prodeuntibus exspectari potest. In reliquis acutis nocent semper. Sollicita autem morborum talium epidemice grassantium observatio docere potest medicum, quid agere debeat.

Sudoris in principio febris orti, simulque copiosi, minuendi, non alia certa melior ratio datur, quam ipsius febris, cujus symptoma est, justum moderamen. Ad haec faciunt stragulorum et vestimentorum copia imminuta. Sudantem autem aegrum nemo prudens subito lecto educere, et vix te-

tecto corpore aëri frigidiusculo exponere suadebit, cum a subito frigore, corpori calido et sudanti applicato, tot et tanta mala fieri possunt. Sed sensim remoto stragulorum pondere sudor minuendus est; deinde illo fere cessante, vestibus induantur aegri, et in sedili sedeant, vel si id vetet major debilitas, saltem sic vestiti lecto incumbant: his autem factis aër frigidiusculus, nocebit nunquam, sed blando refrigerio molestum calorem temperabit. Potus levis et blandus sit, ne stimuli instar circulationis vehementiam augeat. Frigidiusculus calido praefertur; gelidum vero potum aestuanti corpori ingerere periculum. Praestat simul parca copia, sed saepe repetita potum ingerere.

Est et altera sudoris species, quae in fine febrium diuturnarum observari solet, vel etiam illis, qui a febribus longis convaluerunt quidem, tamen adhuc debiles et languidi vivunt; et imprimis, si post frequentes et validas evacuationes ex his morbis emerserint aegri, praesertim si ante morbum minus firmo corporis habitu fuerint praediti. Huic sudoris generi vinum, cortex peruvianus, infusum salviae vi-

vino paratum, corporis exercitatio, rusticatio medentur.

DIARRHOEA FEBRILIS.

In diarrhoeae consideratione tria imprimis notanda videntur. 1) Diversitas materiae, quae excernitur; 2) loca varia corporis, unde haec materia prodit, denique 3) causae quae faciunt, ut haec mamateria deponatur in cavum intestinorum, et dein per alvum exponatur: quae omnia bene cognosci debent, ut prognosis, et indicatio curatoria haberi possint.

Primo videbimus, quid de materia per diarrhoeam excreta, observationes medicae docuerint. Saepe *mucosa* alvi in febribus egestio observatur, quando naturalis mucus has partes illiniens, accumulatus saepe majori copia expellitur. Quandoque etiam in morbis organa illa, quae secernendo huic muco inserviunt, sic disponuntur, ut longe major copia muci generetur. Unde et *Hippocrates* monuit; *hominibus capita humida et pituitosa habentibus, ventres cerebro exturbari, pituita a capite defluente a).* Et alibi. *Quibus in diarrhoeis*

spu-

spumosae fiunt dejectiones, illis a capite pituita defluit b).

Oris saliva deglutita, ventriculi et intestinorum arteriis exhalantibus secretus liquor, succus pancreaticus, imo et bilis hepatica dicta, adeo diluta et tenuis, materiam dare possunt *diarrhoeae lymphaticae.* Si enim consideretur copia salivae deglutitae, ingens numerus fistularum arteriosarum, in ventriculi, et intestinorum ora hiantium, pancreatis et hepatis moles; patebit satis, magnam lymphae copiam continuo in intestina depluere, quae in sanitate iterum absorbetur, verum in morbis quandoque per alvum expellitur summo damno, cum sic magna copia humorum sanorum subducatur de corpore, et chyli ex ingestis debita praeparatio impediatur; cum nempe illa pro magna parte a miscela humorum sanorum cum crudis in gestis pendeat. Unde et, si diu duret talis diarrhoea, magna debilitas, et pessimae obstructiones viscerum abdominalium sequi solent. Verum et in aliis corporis locis stagnans lympha, venis resorpta, et circulantibus humoribus mista, quandoque hac via de corpore exit: uti in hydropicis sa-

salutari effectu quandoque observatur. Unde dixit *Hippocrates* : Ab hydrope detento, aquam secundum venas in ventrem fluente, morbi solutio *c*). *In hydrope incipiente, diarrhoea aquosa facta, citra cruditatem, morbum solvit d*).

Gluten muco naturali tenacius, et quandoque ex hujus accumulatione, et mora diuturniori natum, aliquando et ingestis glutinosis originem debet. Miras talis glutinis in intestinis concretiones docet historia medica.

Legatus Caroli Quinti Imperatoris dolore torquebatur, nec non tumore a dextro hypochondrio per ima ventriculi in sinistrum porrecto Integris sex annis remedia adhibita fuerunt scirrho emolliendo, cum talem hunc tumorem crederent medici. Injecto tandem acriori clystere prodiit corpus durum in medio pertusum, pedis longitudine, quod intestini portionem esse metuebat aeger. Cum tamen illico inde levatus foret iterum, ac tertium clysterem admisit, atque simili educta materie integre convaluit *e*). Alteri cuidam similis, sed gravior effectus alvum prorsus cohibuit; quo mortuo colon intestinum

in-

inventum est usque adeo infarctum pituita concreta, ut solidum omnino videretur, nullaeque faeces per alvum exire potuerint. Huc etiam referri potest pituita illa vitrea dicta, quae pellucida vitri instar, et tremula instar gelatinae vel albuminis ovi per alvum quandoque excernitur.

Subinde in ventriculo, vel in intestinis, aut in visceribus, quae suos humores hic deducere solent, vomicae ruptae *pus* effundunt. Verum et in aliis locis corporis, quae directe se in ventriculum et intestina exonerare nequeunt, pus haerens per metastasin versus intestina deponi poterit.

Accidit quandoque absque notabili dolore sanguinem ano exire, per anastomosin dilatatis vasis hepaticis aut mesentericis, vel et haemorrhoidalibus. Ruptis etiam, a quacunque causa vasis idem fieri potest. Sic meminit *Swietenius* f), se aliquoties vidisse, post diuturnas et molestissimas cardialgias, ingentem copiam sanguinis absque ullo dolore per anum excretam fuisse; sed brevi sequebatur summa debilitas, animi deliquium, et mors. Ubi vero per anastomosin dilatatis vasis hoc fit, non tantum periculum est, imo

saepe salutaris est talis sanguinis excretio, dum et nimia sanguinis copia tollitur, et saepe aliarum sangninis excretionum naturalium defectus suppletur. Sic novit idem plures viros laute et otiose viventes, quibus familiare est ter vel quater in anno purum sanguinem alvo excernere, absque ullo sanitatis detrimento. Notavit etiam *Galenus g*) sanguinem per circuitus quosdam exire quibusdam, vel ob mutilatos artus, vel exercitationem derelictam. Atque alio loco, menstruis suppressis sanguinem per anum excerni, memorat *h*).

His quoque, quae materiam diarrhoeae constituunt, bilis quoque adnumeranda est. Frequens enim in biliosis febribus diarrhoea observatur. Atque ipsa etiam cholera autumno epidemica, bilem per alvum exterminari, satis demonstrat.

a) *Hippocrat.* de locis, aëre, et aquis.
b) — — Aph. 30. Sect. VII.
c) *Fernel.* Patholog. Lib. VI. cap. 9.
d) *Galenus* de symptomatum causis.
e) — — de locis affectis Lib. V. cap. ult.
f) *Swieten* Commentar. ad §. 719.
g) *Galen.* de Sympt. caus. Lib. III. cap. 9.
h) — — de locis affectis, Lib. V. c. ult.

Quod

Quod autem loca attinet, ex quibus diarrhoeae materia in cavum intestinorum venire possit, atque deinde per alvum expelli, ex omnibus autem enumeratis locis directa via est in intestina. Ut itaque de singulis hisce viis seorsim agere supervacaneum esse existimem. Sed diversos nunc stimulos videamus, qui canalem intestinorum ad praeternaturales tales excretiones cogunt.

1) A stimulo inflammatorio, seu ut *Sydenhamus* loquitur, a radiis inflammatoriis ad intestina conversis, frequenter diarrhoeam oriri, in secundo horum commentariorum volumine, cum de inflammatione intestinorum agebatur, dictum est.

2) Frequens etiam diarrhoearum causa habetur a rheumate, et materia arthritica ad intestina deposita. Huc etiam dysenteria arthritica pertinet.

3) Regnante constitutione biliosa cholerae etiam et diarrhoeae, et dysenteriae biliosae observantur.

In morborum acutorum initiis, nondum cocta, et ad exitum disposita materie, saepius equidem funesta observatur diarrhoea. Verum pro vario eventu diar-

rhoeae consideranda imprimis sunt aegri temperies, et vires, et morbi genius, et diversum tempus morbi. Robusta enim, et plena corpora satis facile magnas etiam evacuationes ferre solent; mobiles et tenerae foeminae a levibus etiam affectionibus pessime afficiuntur. Ut autem tuto judicare possint medici, an diarrhoea salutaris futura sit, an non, inserviet optime axioma illud practicum summi usus: In alvi perturbationibus, et vomitionibus sponte obortis, si quidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert, et facile ferunt. Sin minus, contra. Sic et vasorum evacuatio, si, qualem fieri oportet, fiat, confert, et facile ferunt. Inspicere ergo oportet et regionem, et anni tempestatem, et aetatem, et morbos, in quibus oportet evacuari, vel non *a)*. Maxime autem funesta est diarrhoea colliquativa. Per alvi autem fluxum colliquativum intelligitur, quando post morbos diuturnos, et imprimis post suppurationes viscerum, ant longam hydropem, in putridum liquamen soluti humores, per alvum ruunt. Haec est illa diarrhoea, quae in phthiosi consummata morbo et vitae finem

nem imponere solet. Similiter et hydropicis sub vitae finem contingit, dum diuturna stagnatione corruptae aquae putrefecerunt viscera, quae his aluuntur; tuncque miseri aegri saepe optimam spem curationis concipiunt, dum mors instat.

a) *Hippocr.* Aph. 2. Sect. I.

Varius diarrhoeae effectus, in diuturniori praesertim alvi fluxu. *Uno die fluere alvum saepe pro valetudine est*; *atque etiam pluribus, dum febris absit, et intra septimum diem id conquiescat. Purgatur enim corpus, et quod intus laesurum erat, utiliter effunditur. Verum spatium periculosum est, interdum enim tormina, et febriculas excitat* a).

Continuo affluxu humorum debilitantur vasa excretoria viscerum et intestinorum; sic sensim assuescit corpus, ut huc versus magnam lignorum copiam derivet; simulque reliquae excretiones per vesicam, et insensibilem transpirationem, minuuntur; unde summa difficultas curationis nascitur, dum debilitatis vasis et visceribus pristinum robur reddere saepe arduum sit. Sic in pauperibus a malo victu ortae diarrhoeae, neglectae in initio, per annos sae-

pe durant, neque sanari possunt, quacunque demum methodo tententur; licet multa signa adsint corruptorum viscerum, vel latentis cujusdam in corpore vomicae; sed mera tantum laxa debilitas intestinorum, et viscerum abdominalium pertinacem morbum facere videatur.

A diuturna diarrhoea, acribus praesertim humoribus excretis, ipsa interior intestinorum membrana inflammatur, et excuriatur. Testatur *Galenus* b), se multos vidisse, et saepe, quibus, cum morbis gravibus et diuturnis conflictatis, maxima intestinorum pars sic corrumpebatur, ut compluribus in locis tota interior tunica esset destructa, inprimis in morbis dysentericis. Atque a tali causa natae cicatrices glabrae, vasis venosis absorbentibus destitutae, videntur quandoque immedicabilem lienteriam fecisse. Meque tantum ramentorum specie secedit interior haec intestinorum tunica, sed quandoque magna ejus pars sub membranae specie exit, uti observata medica docuerunt, quorum unicum memorabile exemplum adduxisse sufficiet. Homo impense acribus intestinorum torminibus cruciatus sic exul-

ce-

cerata habuit intestina, ut integram illam tunicam, quae intestinum rectum intus tegit, excreverit. Neque statim propellebatur haec tunica, sed firmiter podici adhaerescens insolitum praebebat spectaculum, neque potuit ante biduum exactum inde separari *c*).

Etsi autem per diarrhoeam in initio quandoque superflui, vel noxii humores expellantur, his expulsis tamen, si duret, exeunt de corpore etiam bona liquida; simulque ingesta per alvum expelluntur, antequam ex illis possit praeparari et resorberi chylus, quae restaurandis illis, quae quotidie per sanitatis actiones de corpore pereunt, inservit. Minuitur ergo copia liquidi, atque reliqua corporis vasa et viscera exhauriuntur. Ob hanc causam *mulieri uterum gerenti, si alvus multoties profluat, abortus periculum est d*); quia exhaustis sic vasis non superest, quod in una muliere duo corpora simul sustineat.

Subductis de corpore illis, ex quibus perditorum restauratio perfici debet, debilitas, macies, et atrophia insequuntur. Unde etiam *Galenus e*) in cura nimiae obesitatis commendavit assiduam ventris de-

je-

dejectionem. Debilitatem vero in diarrhoea non tantum ab inanitione deduxit *Hippocrates*, verum etiam inde, quod frequenter alvum excernere coactus, nec somnum capere possit, licet parum simul excernat. Sic enim habet: *Verum si alvi excrementum liquidum est, expedit nec stridere, nec crebro et pauculum quid excerni: fessus enim homo ex continua exsurrectione insomnis fit, si vero affatim saepe dejiciat, periculum est, ne in animi deliquium incidat* f).

Cum per diuturnum alvi fluxum limpidissima sanguinis pars subducitur, illud, quod remanet, quamvis copia paucum, tamen inspissatur, et immeabile redditur. Hinc in diuturna lienteria rubet facies, et quasi maculis quibusdam omnium colorum distinguitur g). Non mirum ergo in phthisicis desperatis, post diarrhoeam colliquativam, pustulas in facie nasci inflammatorias, angina fauces affici, etc. Idem etiam in hydrope inveterata observatur toties, dum omnis aqua vasis exit, et in cavis corporis colligitur; solusque ruber sanguis, paucus quidem, sed immeabilis et spissus, circa arteriarum angustias haeret.

Leu-

Leucophlegmatia, hydrops, tabes nimiam solidarum partium laxitatem, ex diarrhoea diuturna natam, sequuntur. Quamvis enim mirum videtur prima fronte, tumere posse corpus accumulata aqua, dum per diarrhoeam liquidissima elabuntur continuo, tamen et hoc verum est. Solet enim plerumque ingens satis validam diarrhoeam comitari; et quamvis potus ingestus pro maxima parte per alvum exeat, tamen aliqua ejus pars resorbetur, et ob debilitatam solidorum cohaesionem in cava abdominis, vel thoracis deponitur; tunque hydropem facit; vel si per habitum corporis in panniculo adiposo colligatur, leucophlegmatiam parit. Unde dixit *Hippocrates: A dysenteria lienteria, a lienteria hydrops h*). Praeterea, cessante jam diarrhoea, quae diuturna adfuit, laxum et debile corpus ab ingestis aquosis brevi tumet, et hydropicum fit. Cum autem in diarrhoea exeat de corpore pro maxima parte illud, quod nutrire deberet, atque ob jacturam fluidorum, ac laxitatem solidorum deficiant vires assimulantes, deficiet pariter et nutritio, contabescet corpus. Idem enim in hoc casu ve-

rum

rum est, quod de purgantium abusu monuerat *Celsus* i): *assuescit enim non ali corpus, et ab hoc infirmum erit: cum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas sit.* Confirmatur et hic diarrhoeae diuturnae effectus in coacis praenotionibus, ubi sic habetur: *Lienteriae cum spirandi difficultate, et lateris morsu, in tabem desinunt* k).

a) *Celsus* L. IV. cap. 19.
b) *Galen.* de usu partium. Lib. IV. c. 17.
c) *Talpii* Obs. med. L. II. cap. 17.
d) *Hippocr.* in Prognost.
e) *Galen.* de sanit. tuend. Lib. VI. cap. 8.
f) *Hipp.* in Prognost.
g) *Cels.* Lib. II. cap. 8.
h) *Hipp.* de morbis cap. 2.
i) *Cels*, Lib. I. cap. 3.
k) *Hipp.* Coac. praenot. No. 469.

Quod curam hujus symptomatis attinet, primo omnium inquirendum est, an diarrhoea tollenda sit, nec ne. Quandoque enim per alvum noxiorum humorum saburra evacuatur; aliquando et humorum bonorum abundantia sic tollitur. Quare initio ea, quae corporis commodo atque utiliter excernuntur, reprimere minus convenit etc. Ubi vero diuturnior alvi fluxus fierit, non tantum superflua evacuans, sed

etiam

etiam habitum colliquans, et vires consumens, tunc sane et medicamentis resistere convenit. Sic optime monuit *Trallianus a*): qui et testatur se observasse in febribus, diarrhoeae suppressione inopportuna aegros in magnum discrimen incidisse: sic ut phrenitici, aut lethargici efficerentur, et dolores capitis, vel et perniciosae parotides excitarentur. Sollicita morborum observatione sola attenta ad haec medicus poterit detegere, an profuturus sit alvi fluxus, nec ne. In variolis e. g. diarrhoea in morbi initio non nocet, quia forsan nimius tunc adest apparatus pravorum humorum, et ingluviei nimium congestae in mesenterio *b*).

a) *Trallianus* Lib. VIII. cap. 3.
b) *Bagliv.* Op. p. 330.

Cum autem causae diarrhoeae diversae sint, atque singulae harum ab aliis, et quidem admodum variis pendeant: patet evidenter, nullam universalem diarrhoeae curandae methodum tradi posse, sed pro causarum differentia variam esse. Omnia autem haec ad illa, quae hoc aphorismo recensentur, commode reduci poterunt.

Omnium autem primo acre irritans leniri debet. Illud autem obtineri poterit, vel per illa remedia, quae omnem acrimoniam diluunt, obvolvunt, inviscant, atque sic inertem reddunt, aut per talia, quae cognitae acrimoniae oppositam indolem habentia, illam enervant. Priori indicationi diluentia imprimis inserviunt, per illa enim acerrima quaevis reddi possunt inertia. Verum quidem est, diarrhoeam saepe augeri, dum diluentibus affatim potatis inundantur intestina; sed simul acre irritans mitigatur, et eluitur, atque hoc facto brevi cessabit hoc malum; vel roborantibus et opiatis facile tolli poterit. In cholera morbo, ubi sursum et deorsum validissimae evacuationes fiant, dabat *Sydenhamus a*) ex pulli tenuioris carnibus paratum jusculum, sed adeo dilutum, ut vix carnis saporem haberet: vel, ejus defectu, aliud molle diluens liquidum: simul ex eodem plura clysmata per anum injici curabat, hac spe, ut acer stimulus tanta diluentium copia ablutus eliminaretur de corpore, vel saltem retunderetur plurimum ejus acrimonia. Videtur et hanc methodum indicasse *Hippocrates b*) de alvi

pro-

profluviis agens. Sic enim habet. *At vero alia alvi profluvia, quae sine febre fiunt, et brevi tempore durant, et boni moris sunt: aut enim eluta sedabuntur, aut sua sponte.* Sic si viscida et simul acrior bilis, vel rancidum pingue intestinis adhaerens, diarrhoeae causa fuerit, aquosis adduntur saponacea, ut mel, roob sambuci, ribesiorum etc. quia novimus sola aqua in tali casu dilutionem minus facile obtineri posse. Obvolventia et inviscantia duplici ratione prosunt: acrioribus enim humoribus haec permista illos mitificant et inertes reddunt; sed et simul interna intestinorum superficies iisdem sic munitur, ut acria minus illam irritare, et laedere possint. Ob hanc rationem diluenti aquae adduntur mollissima, ut altheae, malvae, verbasci, flores, radices, avena, hordeum et similia. Olea molissima pressa, potata, et per clysma injecta similiter prosunt: verum cum in febribus ob auctum calorem facillime haec rancescant, hinc emulsa ex seminibus vel fructibus oleosis parata, quandoque praeferri solent.

a) *Sydenham*, Op. Sect. IV. cap. 2.

Omnia haec ad quamcunque fere acrimoniam mitigandam valent: ubi autem constat singularis indoles acris irritantis, prosunt et illa, quae oppositam vim habent. Sic dum in junioribus diarrhoea adest, et ructus acidi, faeces alvinae virides acidum spirantes, evincunt, acre irritans esse acidum; absorbentia terrestria, ut cancrorum lapides etc. tam pulchre prosunt, ut plurimi crediderint, universalem haec in omnibus diarrhoeis usum habere; sed falso, cum nihil omnino agant. Patet tamen magna cautela opus esse, ut prius rite investigetur acris irritantis natura, cum pessimus error hic nasci posset.

Inter causas intestina frequenter irritantes, stimulus quoque inflammatorius pertinet, aut, ut phrasi *Sydenhamiana* loquar, a radiis inflammatoriis intro versis. Orta a tali stimulo diarrhoea, methodo tantum antiphlogistica, plus minusve generosa opus est. Ut enim vomitus persaepe in morbo inflammatorio e. g. pleuritide, a stimulo inflammatorio oritur, et gastricam colluviem mentitur, ita quoque ab eodem stimulo alvi fluxus non raro subnascitur, non evacuante remedio, non robo-

borantibus, sed emollientibus, et venae sectione curandus.

Omnium citissime curatio diarrhoeae obtinebitur, si sursum vel deorsum expelli possit illud, quod stimulo suo morbum fecit; longe enim operosius est lenimen acrimoniae irritantis, quam ejusdem expulsio, si tuto fieri possit. Sollicita observatio naturae morbos curantis, huic methodo pondus addidit. Per ipsam enim diarrhoeam, dum a stimulo acri irritante ortum ducit, nititur evacuare natura illud, quod morbi causa est. Hinc toties evacuata per alvum morbi materie, sponte sedatur diarrhoea. Ubi vero, vel copiosior haec materia est, vel tenacior, ars, naturae ministra, sursum vel deorsum deturbare conatur illa, quae diutius relicta morbum perennare facerent. Quamvis autem in diarrhoea sponte quasi omnia versus alvum ruant, adeoque expeditissima via videretur, purgantibus datis hoc naturae molimen adjuvare; tamen observationes practicae docuerunt, per vomitum felicissime curari quandoque diarrhoeam et dysenteriam; sive hoc fiat sursum educta materie, circa ventriculum et

intestina superiora haerente, quae continuo stimulo irritabat quidem intestina, nec tamen prompte poterat per intestina versus alvum propelli; sive inter vomendum validis illis viscerum abdominalium concussibus mobilis reddatur irritans materia, quae hactenus fixa haerebat; sive denique per vomitum invertatur intestinorum motus, hactenus celerrime omnia contenta versus anum ducens.

Primum autem effectum videntur probare illa, quae in dysenteria pessima epidemica observavit *Degnerus a)*: bonum nempe indicium fuisse, si aegri bilem flavam, et adhuc magis, si bilem viridem quocunque morbi tempore, et imprimis in initio, vel sponte, vel medicamento exhibito, vomitu vel dejectionibus excernerent; toto mali fomite sic simul et semel ablato: eo autem certius aegri convalescebant, quo citius talis evacuatio fieret. Alterum vomitus effectum pulchre probant illa, quae *Sydenhamus* in curandis febribus observavit *b*). In febre nempe continua epidemice grassante, praeter alia symptomata aderat et vomitus, vel et inanis vomendi conatus quandoque, neque tamen

sic

sic poterat expelli noxius humor, sed requirebatur, ut vomitorio dato, validis illis vomendi concussibus mobilis redditus expelleretur; quod nisi fieret, in febris progressu sequebatur diarrhoea valida, saepe periculosa ob fractas morbo vires; ad quam tamen curandam, quocunque morbi tempore oriretur, nihil efficacius emetico invenit, modo vires aegri adhuc sufficerent. Miratum autem se saepe fuisse testatur *Sydenhamus*, dum materiam vomitu rejectam, nec mole admodum spectabilem nec pravis qualitatibus insignem videret. Verum monuerat jam *Hippocrates* c): *quae prodeunt, haud multitudine aestimanda sunt, sed quamdiu prodeunt, qualia oportet, et aeger facile ferat.* Tertium denique effectum vomitus, quo intestinorum motus, celerrime deorsum vergens, minuitur, vel invertitur, videntur pariter observationes practicae confirmare. Notavit *Hippocrates* d), *quod longa diarrhoea detento spontaneus succedens vomitus diarrhoeam solvat.* Neque tamen videtur hic effectus semper evacuationi materiae irritantis adscribendus esse, nam alibi e) sequentia habentur: *Alvum autem coactam vomitio solvit,*

vit, et plus aequo fluentem sistit: illam quidem humectando, hanc vero siccando. Quum igitur quis alvum celerrime sistere volet, devoratum cibum, priusquam humescat, et deorsum detrahatur, evomere oportet. Memini, ait *Switenius*, me aliquoties diuturnas diarrhoeas, adstringentibus, aliisque remediis incassum tentatas, curasse, dum singulis diebus per triduum mane vomitorium darem, licet nulla signa docerent, aliquid circa primas vias haerere, quod stimulo sno alvi fluxum faceret. Imo accidit, quamvis raro, quod ne quidem sic cederet pertinax morbus; sed adhuc dare debuerit alternis diebus emeticum pertres, vel quatuor vices, felici successu; dato tamen vesperi post emetici operationem finitam opiato.

a) *Degnerus* de dysenteria pag. 218
b) *Sydenham.* Ap. Sect. I. cap. 4.
c) *Hippocr.* de humoribus.
d) — — Aph. 15. Sect. VI.
e) — — de victus ratione sanorum Lib. II. cap. 10.

Purgantia pariter cum fructu adhiberi solent, ad expellendum stimulum, si nempe materies irritans potius in intestinis, quam circa ventriculum haereat; neque

ad-

adsit in febribus nausea, vel vomendi conatus. Solent autem tunc imprimis eligi talia, quae una cum vi purgante manifestam adstrictionem possident, et sanis hominibus data post absolutam purgationem alvum strictam efficiunt. Hinc rhabarbarum tantas laudes meruit in diarrhoeae curatione. Clysmata autem et hic locum habent, quatenus eluunt ex crassis intestinis irritantem materiam, quae etiam in his locis haerere potest; vel etiam quatenus purgantia remedia per clysma injecta suum effectum edere possunt. Notum est enim quotidianis observatis, purgantia quadrupla dosi sumta, ano injecta, et diu retenta, simili modo agere, ac si simplex dosis ore assumpta foret. Usum imprimis habent haec in junioribus, vel et aliis, qui nauseosa saepe haec purgantia fastidiunt, vel assumta illico evomunt. Ubi vero ad hunc usum clysmata adhibentur, requiritur, ut in adultis trium, quatuorve unciarum quantitatem non excedant; sicque et proportionaliter in junioribus, ne nempe mole sua irritent intestina, sicque subito iterum per alvum exeant. Praestat etiam prius clysmate, ex aqua cum melle

parato, intestina crassa eluere, ut clysma purgans, postea injiciendum facilius retineri, et venis bibulis intestinorum resorberi possit.

Omnia autem haec tantum locum habent, quando spes est, materiam irritantem sic expelli posse; simulque firma et sana viscera sunt, ut horum actionem ferre possint. Si enim v. g. tabefactum hepar in morbis chronicis vel vomicis purulentis exesum fuerit; concussus abdominis, inter vomendum factus, rumpere posset friabile hoc viscus, unde pessima hypercatharsis, animi deliquia, et mors metuenda forent. Hinc etiam funestus toties hujus methodi eventus fuit, dum inflammata intestina (diarrhoeae enim et dysenteriae quandoque et talis causa observata fuit) purgantibus vel vomitoriis irritarentur. Observavit enim *Sydenhamus* a) in febre quadam continua, quae variolas epidemice grassantes comitabatur, et inflammatorii generis erat, diarrhoeam adfuisse; quin imo et eodem tempore diarrhoea absque manifesto febris indicio, epidemice grassabatur b). Invenit autem acutissimus in distinguendo morbi genio illo vir, quod

illa

illa diarrhoea ortum suum deberet radiis inflammatoriis in intestina versis, atque eadem ad hanc expulsionem sollicitantibus; cum interim sanguinis massa, ope hujus diverticuli a malis, quos aliter radii isti adtulissent, effectibus integra maneret, atque illaesa, nullo febris visibili signo exterius se prodente. Venae sectione, medicamentis, diaeta et regimine refrigerantibus, prompte curabatur haec diarrhoeae species. Ubi vero rhabarbaro, aliisve catharticis lenioribus, vel et adstringentibus, cura tentabatur, levis ex sua natura morbus saepissime evasit exitialis. Patet ergo iterum, quanta cautela opus sit, ut diarrhoeae causa cognoscatur, antequam de ejusdem cura cogitetur.

Si autem a debili laxitate intestinorum diarrhoea ortum duxit, vel expulso stimulo irritante, nimia intestinorum laxitas superest, roborantibus medicamentis morbum sanare oportet. Victus siccior, potus parcior et meracior simul, huc faciunt. Unde in tali diarrhoea *Hippocrates* c) pro cibo dedit panem tostissimum, potum vero paucum et meracissimum commendavit. Medicamenta autem roborantia tunc

optime dantur forma solida, ut diutius in primis viis haereant, et sensim per intestina delata omnibus locis applicari possint. Solet et ad hunc usum laudari, si candens ferrum aqua exstinquatur saepius; dein haec potui exhibeatur, vel sola, vel cum lactis aequali copia: alii ignitam ferri laminam immergunt in similem usum; verum sic pars caseosa et cremoracea lactis aduritur, et ingratum saporem empyreumaticum acquirit.

Quantum autem saepe usum habeant in pertinacissimis etiam diarrhoeis curandis talia remedia, patet ex observationibus medicis. Homini, qui diuturno alvi fluxu laboraverat, et omnem suam substantiam frustra in medicorum ope consumpserat, consilium dedit *Forestus d*), ut mespila immatura maxima copia devoraret; quibus comestis alvi profluvium paucis diebus cessavit. Similem effectum hujus remedii observatum fuisse in mercatore ibidem memorat; qui *Joanni Sprinchio*, Lovaniensi medico, trecentos aureos numeravit, solo mespillorum usu sanatus a diarrhoea, qua pluribus mensibus laboraverat. Similia etiam per clysma injici

pos-

possunt *e*): et quandoque adstringentibus admiscentur grata aromata, ut leni stimulo excitentur flaccida intestina. Fomenta ex vino, cum roborantibus et aromatibus cocto, vel infuso abdomini applicantur, uti et emplastra aromatica.

Verum antequam haec adhibentur, certi debemus esse, materiam irritantem expulsam esse, et solam ventriculi et intestinorum flaccidam debilitatem peccare. Si enim adstringentibus alvi fluor sistatur, antequam noxii humores expulsi fuerint, gravissima saepe mala sequuntur. Monuit etiam *Hippocrates f*) quod dysenteria sedata abscessum aut tumorem quemdam faciet, nisi desierit aut in febres, vel sudores, aut urinas crassas et albas, et valde perspicuas, aut in tertianas, aut in varicem, aut in testiculum, aut in crura, aut in coxam dolor decubuerit. Patet autem satis, hic non agi de radicali dysenteriae sanatione per expulsionem materiae morbificae, sed de dolosa pacatione hujus mali, dum interim materialis causa morbi per alias vias expellitur, vel per metastasin ad alia corporis loca delata morbos facit. Sic et *Hollerius* observavit *g*) interim

pe-

pestive suppressa dysenteria, quosdam in epilepsiam incidisse, alios in pleuritidem; imo cuidam densam scabiem, leprae similis inde orta fuit. Notavit et *Sydenhamus b*) a materiae peccantis evacuatione medicamentis adstringentibus impedita, non expulso prius per cathartica morbi fomite, aphtas nasci, quae mortem imminentem utplurimum denunciant. Novimus autem materiam irritantem expulsam esse, si morbus jam diutius duraverit, emetica vel cathartica remedia exhibita fuerint, et alvo excreta in melius mutata sint. *In alvi enim fluxionibus dejectionum mutationes juvant, nisi in pravas mutentur i*). Quamdiu ergo admodum foetida, livida, nigra, aeruginosa, biliosa, flava, etc. per alvum fluunt, adstringentia nocent: ubi vero magis ad naturales foecum alvinarum dotes accedere incipiunt; et imprimis, si ingesta vix mutata per alvum dilabuntur, tunc roborantibus et adstringentibus locus erit.

a) *Sydenham.* Op. Sect. III. cap. 3.
b) Ibid.
c) *Hippoc.* de salubri victus ratione.
d) *Forestus* Lib. XXII. cap. 1. Tom. III. p. 47,
e) *Sydenham.* Sect. I. cap. 4.

f)

f) *Hippocrat.* de victu in morbis acutis.
g) *Hollerius* Comment. in Coac. Hippocrat p. 876.
h) *Sydenham.* Op. Sect. IV. cap. 3.
i) *Hippocrat.* Aph. 14. Sect. II.

Narcoticorum usu alvum adstringi, saepe admodum pertinaciter, quotidianis observatis constat. Solemne hinc fuit *Sydenhamo* a), post purgantium absolutam operationem, in dysenteriis et diarrhoeis curandis, laudanum suum liquidum dare; cumque alternis diebus purgantia propinabat, diebus intermediis mane et sero tamen dabat narcotica: ut scilicet syptomatum ferociam debellaret, atque inducias impetraret, dum cum humore peccante exterminando ipsi res esset. Quin imo, si morbus pertinacior tertiae purgationi non cederet, singulis diebus, mane et vesperi dabat paregoricum, donec omnino convalescerent: imo quandoque octava quoque hora illud propinare non dubitavit, et quidem largiori dosi, si non obediret morbus. Quamvis autem in morbo contumaciori ad aliquot septimanas continuas quotidie haec dedisset, nunquam tamen, vel minimum quidem incommodi a tam frequenti medicamenti narcotici ré-

pe-

petitione observavit. Dum in Indiis orientalibus medicinam faciebat *Bontius b*), horrendam dysenteriam (frequentissimum ibi morbum), quae a levissimis etiam laxativis irritabatur cum incredibili aegrorum cruciatu, et certa saepe pernicie, curare nunquam potuit tutius nec citius, quam si extractum croci miseris aegris daret. Verum illud extractum croci magnam opii selectissimi copiam *c*) continebat. Tanti autem fecit hoc remedium, ut crediderit verissimum esse hujus morbi, saepe etiam venenati, antidoton; unde ad illud, tanquam ad sacram anchoram, semper confugiebat, tam in dysenteria, quam in fluxu alvi, quem hepaticum vocat; in quo absque adeo saevis torminibus purus sanguis per alvum exibat. Monuit autem *Sydenhamus d*), quod, licet his annis, quibus disenteriae adeo epidemice grassabantur, evacuationes prius necessariae essent, antequam laudanum daretur; tamen, in constitutione quavis huic morbo minus faventi, istae tuto omitti possint, ac curatio compendiosiori via, solo nempe usu laudani, absolvi.

a) *Sydenham.* Op. Sect. IV. cap. 3.
b) *Bontius* Historia natur. et med. Indiae orient. Lib. II. cap. 3. p. 126.
c) — — Ibid. cap. 4. p. 20.
d) *Sydenham.* Op. Sect. IV. cap. 2. in fine.

Opia autem, vel magnae compositiones officinales, quas opium ingreditur, lacte dissoluta, et forma clysmatis injecta, quasvis fere alvi dejectiones sistunt, dum sic topica quasi narcosis intestinis inducitur, et acerrima tormina saepe illico tolluntur.

Subinde materia acris aliorsum determinatur, sudore, urinis etc. Sic observavit *Sydenhamus*, quod dysenteriae epidemicae, primo, quo ingrediebantur anno, indolis magis subtilis, ac spirituosae essent, neque ita prompte catharticis parerent remediis. Tunc autem venae sectione praemissa in aetate florentibus, lactis serum solum magna copia potandum dabat, atque illud alvo per clysma injici curabat saepius; sic diluebat acrem stimulum irritantem, et observabat, tormina, et dejectiones sanguineas, rejecto jam quarto enemate, evanescere. Dein lectulo committebat aegros, ubi brevi sponte sua in mado-

dorem solvebantur; quem ad viginti quatuor horas continuari, minime tamen provocari jubebat. Blando hoc sudore eliminabatur illud, quod prius versus intestina ruens morbum faciebat. Si enim citius de lecto surgerent aegri, observavit, illos recidivam passos fuisse; tuncque eodem curationis vestigia denuo repetenda erant. Agitur autem hic de talibus sudoribus, qui viribus integris, et natura morbo praevalente, excitantur, et per quos irritans de corpore exit, vel impetus humorum ab intestinis avertitur. Si diarrhoea a colluvie quadam serosa ad cavum intestinorum traxerit originem, vesicantia nuchae apposita, humores versus peripheriam cutis avocando, alvi fluxum saepe sistere observantur.

STATUS NERVOSUS FEBRILIS.

Frequentissime in febrium initio, progressu, atque in ipso etiam convalescentiae statu, mira observantur symptomatum, nervos afficientium connubia, ab uno tamen fonte, morbida nempe systematis

ner-

nervosi mobilitate, manantia. Haec autem hominum peculiaris nunc in spasmos propensio, uti non unam agnoscit causam, ita quoque diversam medendi methodum sibi poscit. Haereditario enim subinde jure parentum vitia ad filios transmitti, novum non est, imo nostro aevo, manifestius, quam lapsis ante nos saeculis, id apparet. Accedit perversa educationis nostrae ratio, in dies continuo deterior facta, quam huic potissimum genti in acceptis referre debemus, quam *Julius Caesar leves homines, rerumque novarum cupidissimos esse*, scripsit quam verissime; omne enim vitiorum genus ex *Gallia* prorumpens, germanam patriam inundavit.

Subinde vero ex ipsa morbi indole, et medendi methodo, utut indicatissima, morbosa haec nervorum prophasis superest. Ita e. g. evacuationibus magnis aut sponte obortis, aut arte factis, difficillima, multisque nervosis symptomatibus stipata convalescentia insequitur.

Atque haec generis nervosi morbida mobilitas in corporibus praeexistens, omnem febrem, quaecunque forte inciderit, difficilem, atque anomalam reddit. Ne-

que ulla febris est, quae non subinde cum nervoso statu conjuncta sit; etsi hoc in pituitosa febre frequentius, quam in caeteris, accidat. Ita *statum nervosum* febri inflammatoriae sociatum in schola clinica observavimus *a*).

a) Sylloge observationum Fascicul. I.

Spasmos universales, in febribus malignis male judicatis, et quibusdam anomalis observari, *Willisius* adnotat. *Convulsiones febricitantibus* interdum accidere, ait, nullus e vulgo fere est, quin passim advertat, et exinde mortis aut periculi insigne prognosticum desumat. Enimvero in febribus malignis, itemque in ordinariis male judicatis, prout vertigo aut delirium a materia morbifica, a sanguine in cerebrum deposita oriuntur, sic eadem in nervosum genus delapsa, musculorum ac tendinum contracturae, et subsultus, nec non membrorum ac artuum subitae succussiones, ac interdum in toto corpore rigores horrifici succedunt. — Hujusmodi tamen affectus spasmodici utplurimum accidunt circa febrium ἀκμεὶς, cum materies morbifica primo in sanguine congesta, illinc in

ce-

cerebrum transfertur, eoque vel protinus trajecto, vel simul infecto, in systema nervosum profertur, proindeque pathemata convulsiva, cum vel sine delirio accientur. — At vero praeter hujusmodi affectiones spasmodicas febribus *supervenientes*, et *secundario* excitatas, observare est interdum, in maligna aëris constitutione, etiam a contagioso pestis afflatu, liquorem nervosum sanguine prius, aut ab eo seorsim infici, et propterea delirium, ac convulsiones intemperiem febrilem praevertere. —

Porro saepius observari, pergit *Willisius*, febres quasdam anomalas increbuisse, in quibus sanguine vix ebullire, aut supra modum effervescere viso, primum in humore nervoso *febris lentae*, ac valde periculosae initia jaciebantur; quae sensim ad maturitatem evecta, affectus spasmodicos cum delirio aut mania, aliisque spirituum animalium deliquiis, aut exorbitantiis inducebant. Aegrotantes enim de calore aut siti minime conquesti, cito debiles, et quasi enerves facti, crebrae vigiliae, nec non artuum tremoribus, ac velut exsilitionibus, insuper musculorum ac tendinum subsultibus, et contracturis,

 at-

atque doloribus hinc inde vagis statim obnoxii fiebant. Hujusmodi aegritudo a quibusdam medicis, siquidem in solidis partibus magis, quam in sanguine consistere videtur, febris *maligna hectica* appellatur, cum revera eodem in humore nervoso defixa, *lues nervosa convulsiva* melius dicitur.

Ipse *Willisius* febrem epidemicam describit, *lentam*, *inaequalem*, *diuturnam*, *symptomatibus cephalicis*, et *convulsivis* stipatam, nec non *aegre solubilem a)*.

a) *Willisius* de morbis convulsivis cap. 3.

Historiam febris morbillosae ob morbosam nervorum mobilitatem exlegis redditae *Illustris. Frank* describit *a*).

Alias ipsa morbillorum febris aut cum *gastricis*, aut cum nervosis mox complicatur symptomatis, variisque sic ansa porrigitur a consueto hujus morbi decursu oberrationibus: Inflammatoriae sic febris cum nervosis affectibus intricatae, memorabile exemplum in nobilissimo non ita pridem conspeximus juvene. Quo scilicet tempore variolae morbillique simul in hac Insubria, permultis lethales, sub rheumatica constitutione grassabantur, robustus hic,

sed

sed pedum nocturnis hinc inde spasmis, seu *crampo* subjectus adolescens, die 28 Januarii 1790. lassitudinem persentit, perhorrescit. Haec ad alteram usque continuant diem: sequitur calor cum horrore alternans, oculi parum rubescunt, aliqua sternutatio, nariumque obstructio; pulsus pleni, sed molles, paullo frequentes. Ad noctem sudor sat magnus. Die 3. febris non remittit; tussis nunc parva et sicca exsurgit; oculi subrubent; hinc inde sternutat; sed capite non dolet, nec difficulter respirat, nec oris ulla accusatur amarities, nec nausea, nec sordes in lingua comparent; ad noctem febris augetur. 4ta Haec minor est hesterna: paucae ac rubrae ad mentum pustulae, — sub vesperis latiores ad thoracem maculae comparent. Sequitur diarrhoea, et ad noctem sanguinis e naribus fere libra, sub tussi ac inquietudine effluxit, nec in insulam concrevit. 5ta blande transpirat, febris moderata, tussis adaucta, plures in pectore nunc maculae prodierunt; cessat diarrhoea; sed cruor iterum e naribus, cum aquae calidae per caput decurrentis sensu, atque aliqua in lipothymiam propensione destillat. Ad ve-

speras febris increscit; sed tussis moderatur. Sub nocte calor augetur, gulae dolor accedit; sed somno fruitur aegrotus. Die 6ta sanguis iterum ad libram e naribus prorumpit, ac, in vase susceptus, concrescit. Pulsus nunc pleni, sed molles, frequentes; dolor nullus ad caput, vix ullus ad fauces; respiratio, si tussim excipiamus sat multam, liberrima. Morbillorum nunc plura in cute observantur exanthemata, oculi prurientes, ac rubri. Ad vesperam horripilatio succedit, augetur calor, arteriae pleniores, ac frequentius pulsant; facilis respiratio. Augetur morbillorum ad thoracem, ac nova comparet ad brachia eruptio. Rarior quidem tussis, sed magna nunc pectoris oppressio, difficultas spirandi succedit. Tunditur hinc vena, sanguinisque educitur libra. Aliqua post hoc lipothymia cum jactatione, difficultate spirandi, ac pulsu parvo, inaequali insequitur; mox vomitus accedit; a quo pulsus insurgunt, ac minus frequentes, pleniores redduntur. Sanguis tenui mox corio obducitur. Sub optimo, ut videbatur, aegrotantis statu, novae mox, ac prioribus graviores lipothymiae inopi-

na-

nato ordiuntur; sed insecuto demum quatuor horarum somno, hae turbae sedantur. Die 7ma tussis minor, respiratio facillima, sternutatio, licet perviae nunc et liberae existant nares, frequentior; pulsus molles, pleniusculi. Sed hac etiam vix elapsa nocte, copiosa morbillorum ad faciem iterum et brachia, sed et ad tibias et crura contigerat eruptio. Versus meridiem denuo sat gravis respirandi aegrotantem difficultas, post horae interim quadrantem cessans, invadit. Solvitur jam alvus, vomitusque cum emolumento subsequitur amarus, sed redit mox suspiriosa ac difficilis, mox iterum in facilem commutata respiratio. Pulsus nunc pleniores, frequentiores, calor major, ac dolor ad oculum, variolis quondam sat male tractatum, comparent; facies rubra, non tensa, ac tussis moderata, sed tendinum subsultus observantur. Post meridiem suspiriosa iterum ac difficilis in facilem, naturalem, et mox ex hac in illam, convertitur respiratio; sed post quatuor modo horas jactatio magna binique amarae materiae sequuntur vomitus. Remittunt nunc iterum symptomata, et alvus sponte ex-

nitur; post paucas vero horas convulsio spastica tum faciem totam, tum manus pedesque invadit, ac altos exprimit aegroto clamores. Sequitur haec tertius nunc vomitus, alvumque denuo exonerat aegrotus. Porrigitur liquoris anodini, laudanique liquidi quadrihorio quovis repetenda portio: sub quorum usu paccantur symptomata, ac levi manuum praegresso frigore, morbillorum rursus in superficie augetur copia. Ad noctem oritur molestus in ore non sicco siccitatis sensus, ac hauriendi potus sine siti necessitas: quam novae mox inquietudines, respiratio suspiriosa, defectionis sensatio, brachiorum, manuum, genuumque convulsio, ac spasmus excipiunt. Pulsus nec fortes, nec debiles, centum in primo minuto ictus vix superant, nec ulla nunc tussis aegrotantem divexat. Post horam somnus, et facilis respiratio; sed insomnio, ac amissi sanguinis fallaci idea excitatus, debilitatem accusat, ac lipothymias futuras veretur. Has tamen nec pulsus, nec alia praedicunt symptomata. Morbilli ad faciem copiosi, adhucdum rubent; in thorace aliqui pallescere videntur. Desideratus tandem

dem ab opio inducitur somnus. Die 8va urina turbida, jumentosa, cutis subhumida, calorque minor, respiratio libera, sed tussis sicca recrudescit aliqua. Morbillorum jam imminuitur rubor, et paucas post horas tum sudor universalis, copiosus, foetidusque insequitur; tum puriforme ac multum in urinis praecipitatur sedimentum. Ab his mox febris fere omnis disparet, ac viscida quaedam per tussim sputa screantur. Pruritus nunc major, quam ipsa sub exanthematis eruptione, in cute sentitur. Arescunt plures in facie morbilli; ad noctem somnus, et quae per totum hunc morbum *paucissimae* fuerunt *urinae*, hae magna satis minguntur in copia; ac die nona sedimentum leve, ac furfuraceum deponunt. Hac die, sub febre vix ulla tussis iterum augetur, nec sputa sequuntur. Ad faciem nunc tandem desquamatio succedit, simulque dolor in aure dextra acutissimus insurgit. Hunc iterum decem horarum somnus sopivit, ac 10ma sequente sudor iterum sat magnus prorupit: quo pectoris artuumque morbilli sine ulla epidermidis desquamatione, evanescunt, ac sub largo urinarum fluxu, nocturnoque su-

 dore,

dore, salus integra tandem, post paucos a morbo dies, restituitur aegroto.

a) Ill. *Franck.* Epitome Tom. III.

Febri itaque *principi* potissimum medicina facienda est; atque omnia alia remedia, etsi nervorum morbis maxime convenire dicantur, tunc tantum locum habent, si ea simul *poscat*, aut *admittat* natura febris.

Statum nervosum post morbum acutum nimiis per venae sectionem evacuationibus curatum, in se ipso observatum, *Stollius* descripsit.

„ Post morbum meum acutum nimiis per venae sectionem evacuationibus curatum, sequentia symptomata passus sum: Vigiliae erant continuae, ita, ut aegre per horam, atque id interruptim dormiverim. Doloris omnis absentia statim post morbum.

Assumpto potu frigidiusculo urina mox excernebatur limpida, aquosa penitus, frequens, copiosa, cum antecedente sensu quasi globorum ab abdominis superiori parte deorsum versus renes decurrentium.

Insignis animi dejectio, deque recuperanda sanitate desperatio. Mens mobilissima ad indignationem et iram ob le-

vis-

vissimam causam, ita, ut memet ipse saepe miratus fuerim. Terrores subiti, caloresque subito ascendentes, cum sudore per totum corpus erumpente, ac si quis me aqua calida subito perfudisset, et inopinato, ita terror, calores et sudores in momento quasi subsequebatur, saepissime per diem idque tunc potissimum, quando cogitatio quaedam de sanitate recuperanda inopinatum animum perculit, quod saepissime per diem contigit. Pulsus etiam in quiete valde celer, in motu corporis etiam levi celerrimus, cum palpitatione cordis. Decumbens noctu, pulsum in thorace cordis auribus facile percepi, sudores nocturni copiosissimi, appetitus vegetus. Sumto cortice peruviano per longum tempus quotidie ad unciam β sudores cessarunt. Post duos fere a morbo acuto menses dolorem habui in capitis parte capillata, ut contra capillorum ordinem manu caput fricare ob dolorem non potuerim; dolor subinde hypochondrii sinistri ad attactum major. Demum incepi acido laborare. Omnium tamen minime pinguia, cremorem praecipue lactis ferre potui. Vidi studiosum medicinae, qui acuto morbo ten-

tentatus nimias venae sectiones sibi fecit, dejecto animo summopere postmodum laborantem, et urinas limpidissimas, et copiosas excernentem. " *a*)

a) *Stoll*, Rat med. Pars IV. p. 518.

EXANTHEMATA FEBRILIA.

Notio, origo, et divisio exanthematum febrilium.

Notum omnibus est, quum in febrilibus, tum in chronicis morbis varias cutis efflorescentias observari, ut itaque ab ejusmodi exanthemate ipsi febri nomen inditum sit; quod tamen, cum agendorum inde rationes et mulierculae et medicorum vulgus hauriant, in summum artis detrimentum cessit. Triplex autem universim exanthematum genus est. Aut enim sub epidemide plana et aequali conspiciuntur, et *maculae* dicuntur; aut super cutem elevata *pustulas*, aut tubercula et aspredines referunt; aut denique ab utrisque participant, et *mixtum* quoddam exanthematum genus constituunt. Non raro dubius haerebit medicus, ad quodnam genus exanthema febri

bri superveniens pertineat; adeo naturam in hisce cutis efflorescentiis nonnunquam ludere observatum est. Priusquam autem de origine exanthematum in genere sermonem instituam, ipsum cutis organon consideremus.

Qui cutem, ait Ill. *Frankius*, ut ignobile corporis integumentum considerant, nec ad alia, quam *exhalationis* ac *resorptionis* per eandem officia, aut ad solius tactus momenta respiciunt; illi patentissimi organi functiones nec in sanitate recte intelligere, nec in morbis propriae dignitatem superficiei mente penetrare videntur. Totius quidem animalis in complexum a natura pars ista expanditur; ac ad interiora sese, quousque patent, insinuans, non exiguam vel sui ipsius portionem circumdat, ac materno sinu recondit; sed peculiarem hoc universi corporis involucrum, ac distinctam a communi oeconomiam colit; nec minus in homine *cutis*, quam in arbore *cortex*, tum interioribus prospicit, tum semet ipsum regit, ac vitalitate *sua* animatur. Hac sola, cutis, non modo sanitatis, sed et pathematum animi vicissitudines, vel prima inter omnes ad faciem

pro-

prodit; ac proprio in morbis, nec ab internis mutuato, aegritudinis sensu frequenter laborat. Sine cordis, a morborum causis necdum excitati, adminiculo, jam illa in febribus contrahitur, pallet, livescit, alteratur; et vel reagente ex praecordiis vitali principio, haec tamen ipsa in frigore persistit; nunc urente, mordaci, nec semper pendente a sanguinis in se ipsam impetu calore, arescit, aut mediis sub ignibus sudore inundatur. Vel solo febricitantium *attactu* experta manus de aegrotantis statu febrisque vigore saepissime judicat: nec solus hic in censum calor venit; sed cutis in illis circa carnes constrictio, tensio spasmodica, rigiditas, asperitas ac siccitas, — in his vero morbosa flacciditas, pendensque ab ossibus integumentorum habitus, vitalis potentiae in istis inertia, vel alia, quae verbis exprimi, doceri vix queunt, ad pellem imminuta, vel adaucta, vel demum mutata, judicium prognosinque dirigunt. Longo interdum, priusquam gravis hominem aegritudo corripiat, tempore, jam universa cutis colorem habitumque mutat suum, fonticuli, ulcera, efflorescentiae ad

su-

superficiem exsiccantur, ac amisso pellis nitore, corrugatur, atque marcescit. Similia fere in plantis, flore licet ac fructu condecoratis, circumspectus arborum cultor vel solo ex cortice praedicit.

Originem autem exanthematum *Illustris Vir* ex variis fontibus derivat. 1) Ex primarum viarum consensu; 2) ex morboso humorum statu, ac deposito ex istis in cutem acri; 3) ex cutis ipsius vitio, 4) atque tandem ex peculiari in hanc ipsam primum, dein vero in totum corporis systema agente contagio.

1) Ipsorum abdominis viscerum in cutem, ac istius in illa imperium vel ex sola jam continuitate cutis eruitur; nec desunt officia, et mutuus consensus nervorum spinalium, qui ad singulas vertebras in ganglia confluunt, ac musculis non minus atque cuti vicinis, quam ad viscera cum intercostalibus juncti, transmittuntur. Hinc ex gravi intestinorum dolore, vel ipse interdum motus ac sensus extremitatum perit; et ex sola vermium in abdomine reptatu pruritus narium, ac similes rheumaticis in artubus dolores nascuntur. Antimonialium, opiatorum tam conspicua in cu-

cutem actio ac sudorifera virtus a solo abdominalium nervorum contactu, et istorum cum cutaneis consensu pendere observantur; ac plurimorum, quae stomacho ingeruntur, remediorum, excitantium, adstringentium in longinquas partes operatio, non per secundas adeo, ut appellant vias, quam reciproco nervorum cutis, aliarum partium cum abdominalibus commercio, absolvi videtur. Ex solo *mytulorum*, ostrearum venenatorum, vel et cancrorum in aliis victu, jam copiosa ad cutim exanthemata prorumpunt; et nota est mulierum praegnantium, quae vix suscepto humano semine, ad faciem undique defoedantur, observatio.

2) Ex ipso quidem humorum vitio, cum morbos alios, tum varia in ipsa cute incommoda oriri, vel ex cupreis venenorum maculis, ex bilis in icterisis suffusione nunc universali, nunc ad corporis partem limitata, nec non ex criticis, quae non modo in febribus, sed et in chronicis affectionibus nonnunquam ad cutim contingunt, depositionibus, eruitur: et quamvis similia fere ad pellem phaenomena solidorum potius, quam fluidorum vitio

non

non raro nascantur; est tamen, ubi de morboso istorum statu, ac pendente exhinc in cutem effectu prudenter dubitare nequimus. Nonnunquam cum feliciori, truculentissimi morbi solutione contingunt *metastases*, et quae aliis in febribus nervosis interdum nascuntur *gangrenae criticae:* hoc certe per solidorum his in morbis actionem, aut per novae, ac principalem morbum abhinc revellentis inflammationis beneficium explicari ubique non possunt, atque *humoralis pathologiae*, in frequentiorem licet abusum tractae, auctoritatem ultro confirmant.

3) Ad ipsam vero cutis substantiam interdum morborum, aut exanthematum saltem praeparari materias, quin igitur ad certum in sanguine vitium recurrendum esset, ex aliarum, quas *morbosas* vocamus, secretionum patet historia. Hoc vero, jam stimulatae partis opus, non certe ad inorganicae, sensuque carentis epidermidis affectus pertinet; sed ipsius adeo sensibilissimae pellis, folliculorum, papillarum, nervorum, vasorum, ac *recticuli* imprimis *mucosi*, laesae aut mutatae per quemcunque demum stimulum actioni de-

betur: qua nempe tum subtilissimorum vasculorum, aut sanguinem, aut tenuiorem lymphaticumque liquorem vehentium distensio, laceratio, ac istius in vicinam cellulam, aut intermedium epidermidi locum, sub echymosis, maculae, vibicisque specie, mediocris effusio, — tum permutata his in partibus humorum ex folliculis ac papillis cutaneis aut inflammatorio, aut alio demum stimulo irritatis, secretio, sub aspredinum, papularum, tuberculorum, abscessulorum, aut phlyctaenarum apparatu succedit. Utriusque rei exempla habentur tum in stigmate a culicis proboscide cuti inducto, et sic nata ex minima cruoris effusi quantitate simillima petechiae macula; — in papulis copiosis ac urentibus, aut sudaminibus, quae ardentioris coeli calor, acrioris et cohibiti sudoris ope ad cutem producit; — in vesica, quam in hac ipsa cantharidum, sub epidermide receptum acre mox suscitat; — ex pruriente ad pellem urticis forte caesam tumore; — in abscessulo ex spina vix oculo conspicua, cuti adacta, etc. Nec mirum certe videbitur, si ad amplioris in cute pustulae basin, aut tumefactus atque

pro-

prominens, ac pure repletus ventriculus, aut papillula, aut forte lymphatici generis glandula inflammata, suppurata occurrat; neque hanc ipsam a natura pro secernenda specifica morbi materia fabrefactam opinamur. Nullum certe in animali ad longaevam sanitatem constructa machina instrumentum pro tam lethali fine crediderimus expresse destinatum fuisse; satisque jam malorum est, vel ipsa pro naturali quavis functione concessa nobis organa, cum a causis morborum stimulentur, in propriam non raro concurrere perniciem. Nec etiam specifica quaevis morborum materia specificum sibi, aut distinctum ab aliis succum, aut instrumentum proprium requirit; sed solo illius in partem quamcunque peculiari stimulo, sub iisdem rerum conditionibus, humor idem morbosus, pro tempore, ex notis naturae legibus non determinando, praeparatur.

4) Est tamen, quod in humana miremur oeconomia, singularis partium ad morbosas secretiones respectus: ut a certis specificisque stimulis, quotiescunque, et quovis tempore sibi admotis, vix non in eosdem semper rapiantur effectus, atque

similem prorsus irritanti principio et ipsae secernant materiam; cum ab aliis, non minus specificis aut contagiosis morborum fermentis, superata semel infectione, in secundam sese, eisdem licet causae expositae, adduci vix unquam sinant. Sic a *venereo* viru, aut scabiei contagio, ejusdem subjecti, vix non a prima infectione liberati, quacunque replicati cum venerea, aut cum scabioso commercii ratione, mox nova succedit infectio; cum et variolarum, et morbillorum contagio, quicunque jam pridem mulctatus, per vitam sat tutus resistat: et quamvis nutricis, hoc privilegio fretae, ad genas, quibus variolosum pueri caput diutius incubuit, variolarum pustulae hinc inde prorumpant, contagio tamen, morboque totius mulier nequaquam laborat. Vel ipsam *pestem*, *scarlatinam*, *tussimque ferinam*, post primam aggressionem, eandem hominibus, ac variolae, morbilli, a novo insultu securitatem concedere, sine magno veritatis fundamento affirmatum est; sed hoc saltem ab experientia doceri videtur: quod certa, aut vix suscepta, aut non ita pridem superata morbosae secretionis, aut exanthematum prin-

principia, ab alterius, ac similis fere potentiae veneni actione eundem hominem, pro totius saltem regnantis constitutionis tempore, muniant, ac tutum esse jubeant; cum alia, *variolarum* ac *morbillorum* exemplo, nisi promptiorem adeo affinis contagii successionem reconvalescentibus impertiantur, ab ejusdem saltem invasione nec minime defendant.

Alia vero exanthemata *contagio* suam adscribunt originem: alia ex accidentalibus causis generari solita, nec alieno semini originem debent; nec proprio sese in alios propagant. Interim, cur vix secunda vice eundem ferire hominem soleant variolae atque morbilli; hoc sola horum exanthematum *contagiosa* non explicat *natura*; nec igitur, quae hac ipsa qualitate instructa hominem invadunt; ea replicare ideo aggressionem interdum non possunt.

Interim, quae specifico charactere destituuntur, ac certo in alios semine propagari non queunt, exanthemata, illa febrium non raro symptoma potius, quam ipse morbus sunt: cum alia, et *essentialia* exanthemata, ut variolae, morbilli, febrim ipsam non raro in servitutem ducant,

et pro symptomate illam sibi subjugare consuescant. Utrumque vero exanthematum genus, quemadmodum sine quovis interdum febris indicio efflorescit; sic et variam sibi febrem adsociare potest: ut igitur exanthemata in *febrilia* atque *apyretica*, licet ex una classe ad aliam facillime transiliant, distingui omnino mereantur. Quae ex illis ad cutem propullulant; ea caeterorum adinstar symptomatum morbum nequidquam sublevare; sed in multis cum istius augmento prodire observantur. Nec tamen desunt *criticorum* in febribus exanthematum exempla; ac si de *petechiis* haec ex propria vix asserere audeamus experientia, *miliaria* certe, licet non frequente aegrotantibus beneficio, hanc ostendisse naturam compertum habemus. *Benignam*, *malignamque* exanthematum naturam, tum febris maxime, quae haec ipsa producit, aut comitatur; tum subjecti causarumque conditio determinat. Nec *acutam* ubique exanthemata, sed et chronicam interdum indolem, *erysipelatis habitualis*, ac *purpurae* per menses interdum recurrentis exemplo manifestant. In regione humidiori, ac profundius posita, imprimis sub

coe-

coelo ardenti, frequentior morborum cutaneorum omnium proventus, ac fere *endemica* natura est; hinc et exanthemata in his locis frequentius, quam in aliis, sub febrium decursu obveniunt. Interim vel ipsa medicorum in his pertractandis methodus majorem saepe exanthematum, quam ipsius soli constitutio, partem agnoscit; et ex quo sudores in quavis febrium specie pellendi consuetudo quodammodo eviluit, ac major abdominalis habetur fomitis consideratio; exanthematum symptomaticorum vix non ubique imminuta est frequentia. Sed revera tam evidenter interdum haec ipsa *epidemicam* ostendunt naturam: ut vel sub meliori methodo, sub majori aegrotantium, aërisque temperati hos ambientis puritate, sub matura saburrarum eliminatione, non tamen ubique exanthematum ad cutim praepediri queat efflorescentia.

Alia demum exanthemata, quam semel in cute sedem elegerunt, hanc ipsam cum alia nec unquam commutant, nec ampliorem sibi desiderant; sed quo loco progerminarunt: hoc eodem, petechiarum, miliarium, variolarum, morbillorum exem-

plo, florescunt, atque vel maturantur ac decidunt, vel immutata ex superficie disparent. Alia fixam in pelle radicem non figunt; sed angustiori primum confinio limitata, hoc ipsum, quod de scarlatina, erysipelate observamus, perpetuo extendunt; aut pristinam possessionem inopinato derelinquunt, ac alienam furore aequali praecipitanter invadunt. Utrumque interim exanthematum genus, non eodem, quo incepit, nisu ubige vegetat; sed aut maturitatem propriam aliquando non adipiscitur; aut prorsus a cute disparet, ac pristinae in hac ipsa sedis vestigium quidem relinquit.

Ex dictis exanthematum causae quodam modo illustrantur, ac frequens multorum ex abdomine patet origo. Ipsa tamen cutis per diuturnos atque artificiales sudores maceratio non minus, quam calor lecti siccus, in pelle mutationem, exanthematum generationi, sine alio ad intestina vitio faventem inducunt; atque delicatior, laxaque cutis albidioris, tenuioris apud mulieres, infantes, rufosque homines conditio, hanc ipsam non raro promovere videtur. Sed et illa ipsa, quae

tran-

transpirationem, sudorem supprimunt, exanthematum non raro causam sistere observantur. Qui ex frigidioribus locis calidiora, et insuetos in his solis aestus subeunt, sudoris hic necessarii impatientes, papulis insigniter prurientibus ad cutem undique, seu *sudaminibus*, ac *hidrois*, non sine periculo repellendis, obsidentur. Eadem post balnea frigida, calidiori anni tempore adhibita in multis observantur. Qui cute sensibiliori obteguntur, illi vel ex simplici emplastro aut linimento, cuti paucas horas applicitis, mox plures non modo in eadem pustulas, phlyctaenas, sed non raro erysipelaceam inflammationem experiuntur. Ob hanc forte rationem certa exanthemata ad loca corporis, atmospherae frigidiori prae aliis exposita, ut faciem, manus, uberius, quam ad ista prorumpunt. Sed et ipsam plethoram, tum generalem, tum localem, ad varias cutis efflorescentias contribuere, ex pustulis in fronte adolescentum succi plenorum, imprimis ab assumpto potu spirituoso, a suppressis haemorrhagiis prorumpentium, — ex cupreis potatorum ad nasum maculis observamus; ac in ipsis adeo febribus,

quas *inflammatorias* vocamus, tum petechiae, tum miliaria interdum in cute propullulant; sub quibus detractum ex venis sanguinem manifesto corio obductum, minimeque resolutum non tam raro conspeximus.

Magna interim *actionis nervosae*, et *contagii* latentis in febribus suspicioni locus est, ubi exanthemata certa, in pluribus *epidemico*, nec ex saburrali abdominis vitio, nec a medentis erroribus pendente influxu, propelluntur; vel quod illud ipsum, quod febrim excitavit, a cute receptum, vel ad eandem depositum fuerit; vel quod volatilius contagiosi principii vehiculum, quemcunque febris impetum, omnemque fere actionem, ad corporis dirigat peripheriam: per quam adeo sub ipso morbi principio, ac in subjectis non cachecticis, non raro sudoribus arte prolectis, et febris causa, et exanthematum occasio, apertis cutis spiraculis expelluntur feliciter. Putridam esse hujus contagii, exanthematum in nervosis febribus fontis naturam, argumento, quod satisfaciat, nullo hucusque evictum est; nec certe variolarum, morbillorum benignorum qualitate, ac

tam

tam facili ad inflammatorios motus matura evincitur. Quod si ex putrido ac saburrali ad intestina vitio, symptomatica non raro producantur in cute exanthemata; hoc non ob factam illius in sanguinem resorptionem, ac putridam *in hoc ipso conservatam* naturam, sed non secus ac alia quae putrida non sunt, ac recens mytulorum, ostrearumque caro, ab ejusdem in gastricorum systema nervorum actione praestatur; ac vix in alio exanthematum, quam illorum forte, quae sub paralyticae, ac jam fere emortuae cutis in agonizantibus, conditione, aut in cadavere erumpunt, casu, a putredine dependet.

Miliaria.

Etsi medicorum nonnulli asserant, *febrim miliarem* novum morbum non esse, sed antiquis jam medicis, et ipsi etiam *Hippocrati* cognitam fuisse; tamen loca ex antiquis auctoribus, *Hippocrate* et *Thucydide* adducta hanc veritatem minime evincunt.

Meliori autem jure ad miliarium morbum referendas esse pustulas, quas *Dimer-*

broeck

broeck a) anno 1636. in duabus mulieribus peste Noviomagi correptis vidit, *Allionius b*) existimat. Haec autem habetur harum pustularum descriptio: „ In muliere febri pestilenti correpta, quae nullum pestis externum signum babuit, nona die apparuerunt pustulae parvae, rubicundae, magnitudine milii seminis in toto corpore. In inguine etiam bubo ovi columbini magnitudine protuberavit, atque sic aegra convaluit. Uxor Lumberti de Schermbeeck peste correpta nullum externum pestis signum habuit. Quarta die totum corpus phlegmonoso quodam rubore suffusum, et exiguis pustulis non majoris, quam milii seminis magnitudinis obsitum fuit. Hinc anxietatem multum levatam fuisse sensit. Verum aegra sudoris foetorem fastidiens me nesciente indusium mutavit, et sordido abjecto aliud nitidum induit, quod tamen prohibueram. Hinc protinus evanuit tota illa corporis rubedo, et pustulae quasi exsiccatae subsederunt. Febris acutissima cum maximis anxietatibus, et capitis doloribus accessit, quae aegram intra sex horas jugulavit. In adnotationibus autem ad hanc historiam habet, raro pesti-

len-

lentem febrem tali modo solutam fuisse: quibus haec exanthemata eveniebant, evadere, nisi sudorem contemnerent; et pustulas primum exsiccari, deinde cuticulam decidere. "

Peticularem febrem, in qua primum peticulae, deinde miliaria exanthemata effloruerunt, diligenter narrat *Lazarus Riverius* c): „ Die 18 mensis Januarii, anni 1630. Gratianopoli vocatus fuit ad D. de Chapullay, febre continua laborantem ab octo diebus. Pulsus erat valde frequens, et inaequalis, et totum corpus exanthematis purpureis refertum. Decima quinta die paullo melius se habuit. Decima sexta die pustulae quam plurimae animadversae sunt instar variolarum ad suppurationem tendentes, magno quidem numero circa vesicatorium, tum sparsae per dorsum, lumbos, et nates. Decima septima praedictae pustulae majori ex parte eruptae apparuerunt, et ad exsiccationem tendentes, verum in parte anteriori circa hypochondria et pectus, pustulae perexiguae pellucidae, et diaphanae, humore seroso refertae, infinito propemodum modo apparuere. "

Ce-

Celebris sui aevi medicus *Joannes Crato d*), consilium dedit pro Barone dolore capitis afflicto post febrem, quam ipse quidem peticularem vocat, at miliaris potius vocanda esse videtur. Huic etenim viro post capitis dolorem, et pectoris gravitatem, quibus multis diebus vexatus fuit, tantum una nocte in toto corpore eruperunt exanthemata rubra, minime lata, quae in pectore evanescere paullo post coeperunt. In manibus autem quasi papulae aliquid humoris conceperunt, et ichor effluxit. Cum maximo pruritu tota cuticula renovata fuit. Cum vero erupissent exanthemata, et papulae, copiosissime quinque noctibus sudavit. "

a) *Dimerbroeck* Tract. de peste. Histor. XVII. et C.

b) *Allioni* Tractatio de miliarium origine p. 73 Edit. Jen. 1772.

c) *Riverius* Obs. 21. c. 1. de febre purpurata.

d) *Crato* Consil. med. Lib. Op. et stud. Laurent. Scholzini. Francof. 1598. v. p. 814.

Attamen luculentiora hujus morbi exordia in Germania exstiterunt, Anno enim 1684, morbus hic *Lubecae* epidemice grassabatur *a*). Annis autem 1652-53-54. *Lipsiam* morbus hic epidemice invasit *b*).

Au-

Augustae vindelicorum anno 1660. et sequentibus annis a *Velschio* primum observatae *c*).

Bavariae medicis anno 1666. innotuit *d*). *Wemdingenses* anno 1689. mense Novembris peticulares febres afficiebant, iisque malo omnino exitu albae miliares pustulae aliquando adjungebantur. Eadem vero epidemia cum *Donavverdam* etiam similiter vexaret, hujusmodi miliarem efflorescentiam petechiis junctam adnotavit idem *Lentilius* *e*).

Norimbergenses, referente *Lochnero* *f*), etiam ante exitum proximi saeculi, luem hanc receperunt; puerperae primum mobiles correptae fuerunt, deinde et aliae, ac etiam viri.

Jenam anno 1690. *g*) et *Erfurtum* ineunte praesenti saeculo morbum jam habuisse constat.

Saxonibus proximos *Berolinenses* primum adortus est miliaris morbus anno 1694. Januario, Februario, et Martio vagabantur *h*) malae indolis febres, cum varii generis exanthematis, quae Junio mense pleuritides, et peripneumonias referebant, miliarium exanthematum quodam

ge-

genere, et peticulis insequentibus. Anni etiam 1703. tertium trimestre *i*), tulit malignas febres cum exanthematis miliaribus. Post annum vero 1706, cum Saxonicae terrae Brandenburgicae additae fuissent, et Saxones foeminaeBerolinensibus nuptae, maximeque post suecorum in Saxoniam irruptionem (anno nempe 1706.) quae plures familias Saxones sese Berolinum recipere coëgit, Berolini frequens hic morbus factus est *k*), ita ut proxime sequentibus annis extra civitatem etiam vagaretur *l*).

Francofurtenses ad Maenum medici dirae hujusce febris primam tyrannidem anno 1723. persenserunt *m*). *Wratislaviae* anno 1700. *n*) epidemice regnavit purpura alba minime maligna; sed anno 1715, cum febres ex genere peticularium frequentes essent, peticulas consequebantur cum saevis omnino symptomatis miliaria exanthemata *o*). Quae postea febris catarrhalis anno 1737. Wratislaviam non modo, sed plura Silesiae loca vexavit, in aliquibus peticularum, in aliis purpurae albae, aut rubrae eruptionem saepe comitem habuit *p*).

Pra-

Pragae, et in multis Bohemiae locis ab anno praeter propter hujus saeculi trigesimo quinto *q*) funestam miliarem febrem esse prodidit *Jacobus Smith*.

Vindobonae anno 1729. *r*) purpura alba in puerperis primum apparuit, quae sequenti anno et masculos corripuit.

Labaci in Carniola anno 1714. *Marcus Gerbezius s*) mercatori vehementi febre detento minutas et funestas vesiculas aqua refertas in universo corpore effloruisse scribit, et mala haec exanthemata sequenti anno 1715. frequentiora exstitisse.

Mariaeburgi et *Gedani* febris pestilens magnam hominum stragem fecerat anno 1709, quae post anni 1710. initium omnino conquieverat. Eo anno cum Rex Poloniae *t*) Mariaeburgum petiisset, aulici pestem contraxerunt, qua correpti, si purpurae exanthemata apparerent, viginti quatuor horarum spatio deliri, et convulsi cito moriebantur.

a) *Neuerantz* de purpura. Lubec. 1648.

b) *Velschii* Historia medica novum istum puerperarum morbum continens, qui ipsis der Friesel dicitur Lipsiae 1655.

c) Georg. Hieron. Velschii *Curationum propriarum et Consiliorum medicorum Decades X. Opus Posthumum. Aug. Vindel.*

Vindel. 1680. Ibi auctor *febris coccineae* nomine Lipsiensem febrem describit.

d) Act. N. curios. app. ad Vol. VI. p. 43.

e) Lentilii *Miscellanea medico-practica tripartita.* Ulmae 1698. 4. p. 115. refert exemplum mulieris cujusdam hoc morbo ereptae, cui magna copia miliarium pustularum in thorace post peticulas effloruit.

f) Lochnerus. *Obs. CCVI de febre maligna miliari. Anno VII. et VIII. Dec. III. Eph. N. C.*

g) Georg. Wolfgang. Wedelii *Diss. inauguralis med. de purpura puerperarum. Jenae* 1690.

h) Joh. Philipp. Eyselii. *Diss. inaug. med. de febre purpurata. Erfurti anno* 1702.

i) Gustav. Casimir. Gahrliep. *Constitut. Epid. Berolinensis anni* 1694. *In App. ad Dec. II. Anni VII. Eph. N. C. p.* 94.

k) Acta medicorum Berolinensium. *Dec. I. Vol.* 2. *p.* 1.

l) Ibid.

m) Frid. Hoffmann. *Med. systematica. P.* 1.

n) *Constitutio Epidemica. Wratislav. anni* 1700. *p.* 334.

o) Godefrid. Klaunig. *Wratislaviensis observata circa febres malignas petechiales Wratislaviae anno* 1715. *epidemice grassantes. Eph. N. C. Cent. V. Obs. LXIII.*

p) Tob. Ferd. Pauli *Historia febris catarrhalis malignae anno* 1737. *Wratislaviae et in compluribus Silesiae locis epidemice grassantis. Act. N. C. Vol. VI. Obs. LXVI.*

q) Jacobi Smith. *Diss. inauguralis de febre miliari. Veteropragae* 1740.

r) Carol. Frid. Loeuv. *febris catarrhalis, quae anno* 1729. *per Europam epidemice grassata est. Act. pr. c. Vol.* 3. *App.*

s) Ibid. *L. c.*

t) Christ. Henrici Erndtelii. *Relatio historica febris pestilentialis in aula regia Polon. anno* 1710-1711. *grassari deprehensae. Eph. N. C. Cent. V. Obs. XXX.*

Po-

Posonii et Sopronii in Panonia jam a multis annis saevus hic morbus visus est. *Carolus Roggerus a)* Posoniensis anno 1672. Posonii puellam annorum 12. febre maligna cum miliaris exanthematis correptam se prima vice curasse affirmat. *Carolus Fridericus Loeuv b)* morbum petechialem, qui Posonii anno 1683. epidemice regnavit, scribens, praeter peteculas visas fuisse monet cutis asperitudines miliaceas, miliis solis, et sudaminum instar, easque lethales. *Andreas* autem *Loeuv c)* scriptum reliquit, se anno 1697. peticulari febre grassante, cum jam rarae peticulae factae essent, in homine funestas innumeras miliares albas, parvas pustulas adnotasse, easdemque, sed majores crystallinas pustulas anno 1740. *d)* in robusto juvene petechiis laborante iterum animadvertisse.

a) *Roggerus*, Eph. N. C. Dec. I. ann. 3. Obs. CCLXXXI.
b) *Carol. Frid. Loeuv*, Act. N. C. Vol. II. app. p. 35.
c) Act. N. C. Vol. I.
d) Ibid. p. 40. Annis 1699. 1700. 1701. 1702. 1703. 1704. 1705. 1706, 1707. 1708. 1709. nulla visa sunt.

Hafniam usque pervenit miliaris febris *a)*, neque *Suecia b)* et *Russia* ab hac aegritudine immunes sunt *c)*.

a) Samuel Carl. *Observationes de febre purpurata. Act. N. C. Vol. 7. Obs. LVIII.*

b) Gmelin. *de febre miliari* §. 9.

c) Weitbrecht. *de febrili constitutione petechizante, Petropoli anno 1735. grassante, Regiomonti 1736.* §. V,

Novae in Angliam anno 1684. *a*) hujusce febris ingressum monuit *Sydenhamus b*). Sequentibus annis cum frequentior occurreret, *Hamiltoni* diligentiam excitavit *c*). Mutata postmodum morbi facies est *d*) exanthematis miliaris raro apparentibus. Verum anno 1741. Londini iterum caput extulit miliaris febris parum minax, cum pulsu vix mutato, et determinatione ad delirium, et somnum, ut ex ipsa blanditie periculum augeretur *e*).

a) *Fontanus* (Diss. de febre miliari p. 103.) putat putridas puerperarum febres, quarum monuit *Willisius*, ex genere miliarium fuisse: ideoque ante *Sydenhami* observationem miliarium febrim in Angliam venisse: sed nulla memorat *Willisius* ibi miliaria exanthemata, nec suspicari licet tantum virum, qui maculas novit, ad pustulas non attendisse. Praeterea iis in febribus aderant virium subita prostratio, urinae crassae et rubicundae, cum pulsu debili, quae symptomata peticularis morbi potius sunt.

b) *Sydenham. Schedula monitoria de novo febris ingressu.*

c) Hujus auctoris prodiere tractatus duo, quorum prior de *praxeos regulis*, alter *de febre miliari*. Londini. 1710. 8.

d) Ab eo tempore frequentes exstiterunt lentae nervosae febres in universa Anglia. Edinburgenses medici (medical Observations Vol. IV; V.) hujusmodi febres saepe commemorant, nullibi miliaria exanthemata *Clifton Winteringham* in Commentariis suis nosologicis *Eboraci* annis 1716. 1720. 1721. febres nervosas adfuisse narrat. *Huxhamus* de lentis nervosis febribus peculiariter agit. *Pringle* scribit, notam *Sydenhami* febrem post *Sydenhamum* Londini visam non esse epidemice vexantem.

e) *Barker*. Observations on the present epidemical fevver Lond. 1741. 8.

In Galliae provinciis alicubi etiam se monstravit miliaris morbus. Hujus procul dubio naturae fuit febris, quae circa annum 1755. Mensibus Majo et Junio pagum *Freneuse a*) vehementer afflixit *b*). *Argentoratum* eujusque viciniam anno 1734—35. infestavit purpura alba, quae ab aliquot annis puerperas corripiebat *c*). In urbe Aureliani graves cum vigerent tertianae duplices continuae, eas purpurae albae exanthemata aliquando comitabantur *d*), quae Septembri mense graviora fuerunt. *Pituerii* in Belsia eodem tempore, mense Majo a *Mucaille e*) observatae fuerunt malignae febres cum miliariis exanthematis, et assiduis sudoribus. *Malouin f*) constitutiones morbosas amplissimae urbis Parisiorum referens, miliares febres commemorat. Miliaris cer-

te febris exstitit, quae anno 1741. Rothomogi magnam hominum cladem intulit g), et in Normandia minime nunc rara est.

a) *Freneuse*. In insula Franciae a Medunta, vulgo *Montes* duabus leucis distat.

b) *Quesnoy. L'art de guerir par la saignée a Paris* 1736. *p.* 346. Auctor exponit febrem epidemice saevientem, qua prehensi statim sudore madebant, nonnisi ad morbi finem cessaturo. Secundo aut tertio die erumpebant exanthemata sero aqueo plena, granis milii figura, magnitudine, et colore similia, calor cutis mordax, maximeque in iis, qui perituri essent, excitabatur; quo tempore post inquietudines, delirio accedente convulsi moriebantur.

c) Salzmanni. *Historia purpurae miliaris albae Argentoratum et viciniam ante triennium infestantis. Argentorati* 1736.

d) *Mem.* de *l'Academ.* des *Sciences de Paris ann.* 1747. *p.* 337. *Duhamel* exponit meteorologicas observationes habitas a Medico Aurelianensi *Arnault*.

e) Ibid.

f) *Mem. de l'Acad. ann.* 1747. *p.* 166. Frequentes exstiterunt, inquit, Julio mense, anni 1746., febres ardentes cum cutis ruboribus, quae ideo vulgo febres rubrae vocantur. Febres enim visae sunt cum eruptione pustularum ad cutem, quae idcirco appellantur miliares febres. Infantes potissimum morbus invasit, eosque prae caeteris, qui eodem anno jam morbillos passi fuerant. Anno 1748. mense Junio, praeter erysipelata, et variolas, miliares febres viguerunt. Anno 1752. febres putridas observavit, quas pustulae, aut maculae rubrae sequebantur.

g) Pinard. *Dissertation sur la fievre miliaire maligne. Rouen* 1747. 8.

Mon-

Montis Bellicardi principatum epidemice, et graviter primum invasit hic morbus anno 1712. *a*). *Basileenses* in Helvetia cives aggressum fuisse paulo ante annum 1733. *b*) *Rudolph. Zwingerus* per litteras *Allionio* signavit *c*). *Tiguri* non ignotae sunt *d*). *Scaphusii* primum hujus morbi exemplum triginta et amplius abhinc (ex quo tempore *Allionius* tractatum hunc edidit) annis visum est. Usque ad annum 1750. raro admodum adveniebat. Eo anno paulo crebrius non puerperas modo, sed et viros corripuit. Variolas anno 1752, saepe miliaris morbus sequebatur. Annis 1753, 1754 funestus indiscriminatim morbus fuit. Sequentibus annis rarius advenit. Hanc Historiam communicavit *Allionio* Medicus Scaphuso-Helvetus *Joh. Conradus Ammannus*. *Bernenses* etiam purpuram albam habent, sed ea perraro accidit, solasque pene puerperas, quae graviter in partu laborarunt, corripit *e*). *Muhlhusii* Helvetiorum aliquando, sed raro occurrisse febrem miliarem, *Allionius* ex litteris *Joh. Hoferi* cognovit. Idem Genevenses medicos hac de re interpellari cum curasset, responsum est, a triginta circiter annis

aliquod hujusce febris exemplum occurrere incepisse, sed quindecim abhinc annis rarum factum esse.

a) *Acta Helvetica* Vol. II. p. 76. Epidemiam hanc scripsit olim *Bunningerus* Medicus Principis Bellicardi. Opus hoc posthumum vulgavit auctoris nepos *Berdot*.

b) *Basileae* anno 1733. prodiit disputatio Med. *Brodbang* de purpura alba, morbo apud nos incognito,

c) Malum sine causa incepisse, sequiori sexu, et praesertim puerperis primum frequentius advenisse scripsit, deinde juvenes, et viros, paullo etiam seniores. Primis ab exortu annis gravius, et frequentius, sequentibus autem annis paullo mitius evasisse.

d) Laurentii Gruber. *Diss. de febre acuta epidemica exanthemato-dysenterica* Basileae 1747. Inter morbos, qui mense Aprilis 1746 observati fuerunt, etiam recenset purpuram albam.

e) Hanc notitiam debeo, ait *Allionius*, celeberrimo et sapientissimo Viro *Alberto ab Haller*, qui etiam mihi notavit, Bernensis urbis aërem ex purioribus esse, et saluberrimum.

Quo nunc modo hic morbus Italiam peragraverit, *Allionio* duce videamus; easque solummodo regiones praecipue notabo, quae singulare quid circa hunc morbum lectori offerunt.

Circa annum itaque decimum quintum hujus saeculi in nobili virgine acutam miliarem febrem se primum in hoc observasse scribit Cl. *Fantonus a*); verum in oppido

do *Sanberigni* *b*) anno 1711. *Thomas Gvidetti* *c*) uxorem suam ex febre mali moris cum miliarium pustularum efflorescentia occubuisse adnotavit, ita ut paullo antiquior epocha originis hujusce morbi apud nos videatur. Certum est, inter decimum quintum, et vigesimum, nobiles aliquot puerperas hoc morbo e vita ereptas fuisse. Qui tunc nobiles puerperas solum adoriebatur, sequentibus annis et vulgaris conditiones mulieres, postea et viros, et denique nullo habito conditionis, sexus, aetatis discrimine, quemlibet adgredi ausus est *d*), eademque ratione perseverat. Primis annis in hac urbe sese continuit morbi seminium, tum ad loca vicina sese diffudit, et sensim non solum universa subalpina haec regio, sed alpes ipsae, et proximi fere omnes populi hanc aegritudinem receperunt, et pro varia locorum distantia, hominum inter sese frequentatione, et coeli conditione, citius aut serius, varioque exitu morbus penetravit.

a) Fantonus *de febre miliari.* *p.* 110.

b) *Oppidum ab urbe octavo lapide distans.*

c) Thomas Gvidetti *Dissertationes physiologicae et Medicae. Augustae Taurinorum* 1747, 8. *p.* 147-154.

d) *Augusta Taurinorum* jacet ad Padi et Duriae minoris confluxum, secus editos colles ad originem positos. Venti, quibus atmosphaerae vapores dissipentur, rari sunt. Aër autumno et hyeme nebulosus, semper mollis, et gravis. Aëris temperies varia, nunc austrina, nunc maxime frigida.

Cunei anno 1724. puerperae binae, Vercellensis una, Taurinensis altera, morbum hunc primum passae sunt. Ex eo tempore non infrequens extitit morbus, anno 1742. epidemicus.

Savilianenses cives *a*) eandem etiam epocham recordantur. Cum frequentes admodum non essent miliares febres, et benigni saepe exitus, anno 1753. majori frequentia, nec adeo mites vagatae sunt.

Carmaniolae jam ab anno 1728. morbus apparuit, sed neutiquam magna ibi est hujus morbi frequentia *b*).

Bugellae c) ab eodem tempore, et saevae, et frequentes miliares febres extiterunt.

Eporediae (Ivrea) *d*) prima morbi seminia in puerperis eodem anno visae sunt, quae deinde nullam sexus, aetatisve distinctionem fecerunt. Anno 1742. vehementem huic urbi stragem intulere a Februa-

bruario ad Junium mensem miliares febres *e)*.

Circa annum etiam 1728. in urbe Vercellarum apparuit, ex quo tempore frequens continuavit, rarius lethalis *f*).

Pinerolienſibus g) usque ad annum 1730. pepercit: eo puerperas primum, dein et reliquos indiscriminatim prehendit; verum nec multum graves, neque frequentes ab illo tempore observantur. Anno solum 1742., cum propter annonae penuriam gentes non paucae sese Pineralium recepissent, epidemice tunc viguit miliaris febris, quae primum alienigenas aggressa est.

Tunc temporis primum inter Alpes in pago *Viu* occurrit, ubi sporadice etiam continuant, neque valde funestae *h*).

Tossani anno 1731. primum in masculis juvenibus, dein in puerperis adnotata est haec febris. Annis 1733. et 1742. epidemice vagatae sunt peticulae, quibus miliaris morbus aliquando jungebatur. Nunc etiam quandoque observatur, sed neutiquam crebro intervenit.

Niceae i) circa annum 1732. in Pedemontanae originis puerpera primum exortus morbus est, qui deinde sine distinctione

ne ulla quemlibet adoriri consuevit, impraesentiarum minime rarus. *Villaefrancae* in muliere Villafrancensi anno 1743. sese ostendit nunquam antea visa miliaris febris, et militum nosocomia afflixit: anno 1745. frequentior apud incolas: annis 1746-1751. rara: ab anno 1751. iterum saepius occurrit.

a) Saviliani urbs in ampla planitie sita, mollem quidem, sed aequalem aërem habet.

b) Carmanialae coelum Savilianensi consimile est.

c) Bugella loco edito sita, ad radices alpium, purum, ac propter ventorum et caloris, frigorisve vicissitudines inaequalem aërem possidet.

d Eporediae urbem in acclivi loco constructam lambit Duria major; ei superius adjacent lacus pene stagnantis aquae, ex quibus insalubris fieret loci conditio, nisi saepe vehementer flarent venti per longam, et angustam Augustae Praetoriae vallem spirantes, quibus mala effluvia dissipantur.

e) Fuit simplex miliaris febris, cum pulsu tenso, et parum febrili; miliaria exanthemata quarta die erumpebant, sexto aut septimo saepissime lethalia.

f) Vercellarum civitas in amplissima planitie; mollis aër est, nec valde inaequalis.

g) Pincroliam in aprico et acclivi loco procul ab aquis situm, meridiano et ardenti soli expositum de saluberrimo aëre gloriatur.

h) Primus ex Alpinis locus est, ad quem purpura alba pervenit; sed animadvertendum, Augustam Taurinorum frequentari ab his gentibus, quae lecticarii, et bajuli vinarii operam apud nos praestant.

i)

i) Nicaeense, et Villafrancense coelum prompte et frequentissime variant.

In oppido *Ripularum* a) anno 1732. primum miliaris febris exemplum in viro sese obtulit. Sine ulla conditionis exceptione, frequentes ab eo tempore factae sunt, meliores inter initia, graviores postea. Vere saepe occurrunt durae cum miliaribus complicatae pleuritides.

Astae Pompejae malignae miliaris febris exanthemata observari coeperunt anno praeter propter 1733.

Eo tempore et Lantii b) pagus primum novae hujus aegritudinis adventum habuit. Annis 1734-35 42-53. epidemice regnavit post siccitates, et austrinas constitutiones. Vere frequentes sunt malignae quaedam pleuritides, quae saepe junctam, aut supervenientem habent miliarium pustularum eruptionem.

Tridini c) ab anno 1735. minime rarae miliares febres existunt, nec valde exitiales.

Augustae Praetoriae d) rarissime occurrunt. Puerperam Taurinensem anno 1736. adorta est miliaris febris: postea aliquot alias exteras et indigenas puerperas; verum

rum masculino generi usque nunc pepercit.

Crescentini e) ab anno 1438. apparuerunt, nec infrequentes sunt. Ex vicinis Trideni et Crescentini loca humida *f)* et aquosa majorem patiuntur hujusce morbi frequentiam: ex adverso collina longe rarius, sed gravius hoc morbo vexantur.

Segusii g) anno itidem 1738. in Taurinensis originis aegris observarunt medici novam hanc febrem, quae Segusienses inde corripuit. Anno 1753. epidemice et gravissime non Segusium solum, sed alpinos etiam editiores tractus ea infestavit. Frequens, et saepe exitialis purpura alba Segusii observatur.

a) Ripulorum oppidum loco edito eſt ad initium vallis Seguſinae, et ventorum omnibus inaequalitatibus patet. Meridianum et orientem ſolem excipit, et calidiuſculum idcirco coelum habet.

b) Lantii pagus ad radices alpium in quadam convalle ſitus, caloris et frigus magnas habet vicissitudines.

c) Tridini ſecus padum poſiti aër eſt potius mollis et aequalis.

d) Augustae Praetoriae incolae nullam fere habent cum Pedemontanis communicationem.

e) Creſcentinum etiam ſecus padum est, ejusque aër Tridinenſe fortaſſe humiditate ſuperat.

f) Horum locorum habitatores pauco vino utuntur; vino autem indulgent, qui collina loca incolunt.

g)

g) Segusium ad radices ediditissimarum alpium Cenisii jacens in quadam convalle, per amplam et rectam pene vallem orienti soli patet. Durae et pene nudae rupes interim circumstant, quae undequaque radios reflectunt, et colligunt, unde fit, ut, licet inter medias alpes editissimas, precalidum fit Segusinum coelum, quod etiam ultra confirmant vegetabilia in agro Segusino reperiunda, quae nonnisi locis calidis exoriuntur. Interim ex summis nivosis jugis repente frigidi saepe venti spirant, magnam aëris inaequalitatem prompte afferentes.

Albae Pompejae a) cum primum occurrisset in nobili Taurinensi muliere, aliquot postea, sed rara exempla successerunt: post annum autem 1742., quo epidemice viguit, frequens et exitialis perseverat.

Anno 1742. peticularum febres grassatae sunt in urbe *Montis-regalis* b): iisdem quandoque accesserunt etiam miliaria febris exanthemata, quae aliquando nunc etiam contingunt.

Clarascum attulit eadem epidemia miliarium morbum, qui tamen frequens ea in urbe est c).

Cebae Marchionatus tunc temporis etiam primo vere novam hanc calamitatem persensit, quae ab illo tempore rarius incumbit, solas fere puerperas aliquando afficiens,

ciens, Garexii, Doliani, aliaque *d)* nostrae Liguriae loca ab eo tempore miliarem morbum aliquando habuerunt.

Valentiae e) in nosocomio militum peticulae, et miliares febres anno 1742. magnam cladem afferebant: tunc migravit ad cives epidemicus morbus, qui prima vice miliarium morbo laborarunt. Similis morbosa constitutio nosocomia militum iterum affecit anno 1755.; sed ab ea cives immunes extiterunt, apud quos rarissime excurrit. Ad vicinatum nondum transiit.

In *Subaudia*, *Camberii f*) triginta et amplius abhinc annis nova haec febris innotuit, quae familiaris inpraesentiorum est. puerperas minime afficiens, neque admodum perniciosa.

Annecii et *Thunonii* nota est, sicuti etiam *Rbumiliati g*). *Maurianenses* eam tenent ab anno 1736.; ibi epidemice grassata est anno 1741: indiscriminatim quemlibet corripit, puerperis infensior. Autumno et vere crebrius advenit, nec infrequentes vere sunt pleuritides in miliarem morbum resolutae.

Mediolanenses medici, hac de re quaesiti, quatuor abhinc annis, responderunt,

ex-

exanthematicas hujusmodi febres, aliquando et in puerperis evenire *b*), sed minime malae indolis esse. Anno 1746. graviter Mediolani conflictatus est Sacerdos quidam S. J. sed ab anno 1757. *i*) exitilia miliarium exempla aliqua deinceps obtigerunt.

In urbe *Laudensi* *k*) circa annum 1747. comitissam a *Stharemberga* Germanae originis puerperam, pene sublatam fuisse ex hac febre, *Moscati* Allionio indicavit. In hujus autem urbis viciniis, proxime elapso autumno, nobilem virum eodem ex morbo periisse ex litteris *Pauli Valcarenghi* cognovit.

Majori frequentia et saevitia *Mantuae* ab annis aliquot vagantur. Placentiae et Mutinae rarum aliquod exemplum visum est. Cremona morbum nondum accepit *l*).

Bononienses hanc calamitatem ignorant. Exanthematicae quidem miliares eruptiones interdum in puerperis obveniunt, sed minime graves. Periculosissima hujusce generis febris semel visa est in homine Taurinensi.

Arimienses a gravi nostra miliari febre immunes usque nunc esse *Bianchi* in litteris mandavit. Eadem fortuna non potiun-

tur Veronenses, quibus a pluribus annis, puerperis praecipue, miliarium febrem interdum accidere *della Bona* testatur *m*).

Venetiarium urbs fere omnino immunis est *n*). In agro Neapolitano, in Hispania, nec non Sardinia, et urbe Romae, nondum seu exteri, seu incolae hanc aegritudinem persenserunt.

a) Alba Pompeja humili loco est prope flumen Tanari lente fluentis. Septentrioni patet; mollis, gravis, et inaequalis aëris est ibi constitutio; proximi colles viniferi incolas a vini usu nequaquam aversos faciunt.

b) Montis regalis urbs ex saluberrimis est, puro, et perflato loco sita.

c) Clarescum loco non multum frequentato, aliquantisper edito positum est ad Sturae et Tanari confluxum. Cum haec flumina praeter morem subsident aestivis mensibus, et tertianae, et peticulares vigent febres.

d) Genuensis liguria morbum hunc omnino pene ignorat. Genuae rarissimi miliaris febris casus ab aliquot annis observati sunt.

e) Valentiae humidus et gravis aër est.

f) Camberium in aëre saluberrimo consistit: mulieres vero minime desidem vitam agunt, cum deambulatu maxime delectentur.

g) Cum *Allionius* anno 1750. Botanices caussa subaudiam peragraret, Rhumiliati miliarium febris exempla in seguiori sexu vidit, atque certior factus est, ab aliquot solum annis in talem morbum cives incidere.

h) *Bartholomaeus Curtius* celebris olim medicus Mediolanensis triginta abhinc annis ad *Fantonum* scripsit, se aliquando vidisse puerperas ex febre continua graviter

ter laborantes cum exanthematis miliaceis; nullam vero, quantum ipse meminisset, e vita ereptam fuisse.

i) Animadvertatur Mediolano proximam Navariam esse; et hac in urbe anno 1745. epidemice morbum miliarem viguisse.

k) *Lodi.*

l) Ita *Valcarenghi* Allionium certiorem fecit.

m) *Joh. della Bona* medicus Veronensis purpuram albam Germanorum se bis observasse meminit. *L'uso et abuso del Coffé in Verona* 1751. *p.* 21.

n) Ab *Arcadio Capello* duo tantum usque nunc observati sunt miliaris febris casus.

Sed varias nunc miliarium divisiones recensebimus.

Prima miliarium divisio est in miliaria *rubra*, et *alba*, mulierculis etiam notissima.

Secundo in *febrile*, et *non febrile* distinguitur. Majoris utique momenti haec est distinctio. Nam febris, cui jungitur exanthema miliare, natura medicum in medendo dirigit. Datur autem etiam *chronicum* tale exanthema, in scorbuticis, arthriticis etc.

Tertia divisio a *benignitate* aut *malignitate* exanthematum petitur, prouti nempe febris benigni aut maligni moris esse observetur.

Quarto symptomatica et *critica miliaria* habentur. Frequentius utique symptoma-

 tica

tica miliaria occurrunt, quam *critica*. Multum quondam disputatum est, num semper symptomatica, imo *factitia* sint miliaria, an vero etiam *critica* subinde observata sint. Non equidem negandum est, omnes acutas perturbari posse, et in purpuras verti, si sanguinis missionem, si universalia, si temperantia neglexeris, et in sudores protinus, ab initio exprimendas, omnem curationis cardinem collocatum credideris *a)*. Attamen id nunc certissime observatis constat, regimine etiam et medendi methodo antiphlogisticis, purpuram oriri, fracta mox ab eruptione horum exanthematum morbi impetu.

Quinto saepius miliaria *epidemice* per provincias florent, nec ulla, licet sub sudoribus facilius generentur, vel refrigerante, ut vocant, vel evacuante methodo praecaveri queunt: sed nunquam non *sporodica* hinc inde occurrunt, certisque in locis, antiquo possessionis jure, quotannis propullulant, ac fere *endemica* observantur *b)*.

Sexto. Magna etiam datur ejusdem exanthematis, aspectu magis, quam re ipsa fundata diversitas, in *crystallina*, *aquosa*,

la-

lactea, *purulenta*, *minima*, *lenticularia*, *discreta*, *confluentia*; — humor enim in papulis contentus, pro varia earundem aetate, pellucidatem, colorem mutat; — pro vario morbi impetu, causaeque latentis, imprimis vero pro regnantis constitutionis diversitate, materiam nunc minus, nunc magis infestam, vesiculis nunc minimis, nunc fere variolis, aut confluentibus occurrit *c*).

a) *Brendel* Praelect. Tom. I. p. 260.
b) Illustr. *Frank* Epitome Vol. III. p. 131.
c) Ibid.

Nulla fere corporis pars est, vel *ex- externa* internave, quae non subinde miliarium exanthemate obsita fuerit. Exploratum est, non in cute sola, sed etiam in superficie viscerum internorum, exanthemata haec, non secus ac morbillos, conspecta fuisse; etsi probabile credo, ait *Brendelius* *a*) id non in omni purpura, sed in graviori, et sub ejus lethali vigore demum contingere.

a) *Brendel* Praelect. Tom. I. p. 261.

Sed nullum quoque febrium genus est, quod non cum his efflorescentiis sociari

possit. Vidi saepissime in *Nosocomio S. Trinitatis*, et in *schola clinica* inflammatissimis morbis miliaria supervenisse. *Allionius uteri inflammationem* saepissime cum miliarium exanthemate conjungi notat: „ Quo primum tempore in hac urbe vagari coepit haec febris, cum nobilium puerperarum clade, a Rege nostro mandatum est, ut anatomica dissertatione in morbi naturam inquireret Jo. Baptista *Branchi*, qui tunc anatomes professoris munere fungebatur, nunc magistratus medicorum princeps est. Is autem certiorem me facit, se reperiisse quandoque uterum aliquo loco inflammatum; veram autem mortis causam scalpellis aciem effugisse. Ego ipse, cum simplicissimo miliari morbo sublatum anatomica dissectione investigarem, venosa capitis maxime sanguine distenta, nihil insuper adinveni *a*). "

a) *Allion.* Lib. c. §. 138.

Febri pituitosae miliaria frequentissime jungi, supra dictum est. Hinc in febre puerperarum, verminosam, rheumaticam febrim maxime incidit.

Inter

Inter signa venturi exanthematis praenuncia, tussicula catarrhosa omnium primo notanda est, qua sola miliarium eruptionem saepissime praediximus. Haec autem catarrhosa tussis in magnos quondam errores medicos quosdam induxisse ex *Brendelio* intelligitur. Vulgus enim practicorum, ait, si vel inter initia quaedam respirandi difficultas cum *tussicula* inciderit, statim latere purpuram putat, expellendamque sudoriferis, cum aut sanguinis missione, aut alvo saltem aperta opus esset *a*). Ipsum itaque morbi decursum simul considerare oportet.

Respiratio quoque suspiriosa, non ea, quae in peripneumonicis observatur, alte enim thoracem attollunt, oritura miliaria indicant. Singularis laesae ejusmodi a spasmo respirationis in *Actis Helveticis b*) legitur. Filia viginti et amplius annos nata, bene valens, prima a celebratis nuptiis nocte, cum vehementia ridere coepit. Insulti hujus risus causam maritus cum peteret, ipsa respondit, se vi quadam in risum cogi. Accessere febres, et praecordiorum anxietates perdurante ca-

 chiu-

chinno, qui non cessavit ex integro, nisi postquam miliaria exanthemata eruperunt.

a) *Brendelii* Praelect. Tom. I. p. 260.
b) *Acta Helvetica.* Basil. 1757. Vol. 1. p. 47.

Sudor denique vappidum odorem spirans a plerisque auctoribus inter prodromos exanthematum miliarium passim refertur.

In cura autem ad febris indolem maxime respiciendum est; ut itaque male in omni miliarium febre aut antiphlogistica, aut evacuans, aut sudorifera methodus semper et ubique adhibenda sit. Venae sectionem saepe necessariam esse *Brendelius* graviter monet *a*), eandemque iterandam esse, si peripneumonici quid immineat.

Subita retrocessio miliarium periculosa. Protinus enim sudant aegri, vel augentur deliria, sopores, vicissim vigiliae, spasmi varii, respirandi difficultas, pleuriticaque et peripneumonica satellitia, cardialgiae, nauseae, vomitus, dolores acuti intestinorum, habitus totius corporis icterodes, dysuriae, et ejus generis alia, quae vim exanthematum, aut resorpti ichoris ad inferiora decubuisse testantur *b*).

Ca-

Cavendum tamen, ne spontanea et lenta evanescentia miliarium pro *retropulsis* habeantur, et ad immoderatam curationem medicum seducant. Interest enim permultum inter retrocedentem, et venae sectione nonnihil solutam, instar aliarum inflammationum, etiam cum viget, purpuram: atque, etsi contingere possit, ut misso sanguine videatur increbescere respiratio difficilis, vel quod extravasatae colluviei resorpta quaedam portio fuerit, vel quod exacerbatio febris instabat; huic tamen casui aut vesicatoria, aut venae sectio facile medentur. Nam si imminutis per cutim exanthematibus nullum capiti gravamen, nullum pectoris abdominisve symptoma supervenerit, non repulsa dicenda est haec purpura, sed solvi incipiens c),

a) *Brendel.* Praelect. Tom. I. p. 270.
b) Idem Lib. c. p. 265.
c) Idem Lib. c. p. 270.

Quod si exanthema bono sub omine ad cutem depositum, ad interiora repelli, ac visceribus perniciem inferre videatur, tunc *causae* potissimum, et symptomatum, quae inde oriuntur, habenda est ratio. Hinc

si grave animi pathema, vel terror his praecesserit, antispasmodica, valerianae infusum, moschus, opiumque ipsum; — si nova forte saburrarum collectio ad ventriculum, intestina, has turbas excitaverit, praeter frequentem clysteris usum, emeticum, aut purgans alvum medicina; — si ab assumptis spirituosis, aut a lochiis suppressis forte novum in sanguine incendium prodatur, venae sectio, etiam repetita, aut sanguisugae pudendis applicitae; si refrigerium ac suppressa transpiratio praeiverit; infusa diapnoica, haustus salinus cum refractis tartari emetici, aut et camphorae, aetheris vitriolici dosibus, balneumque tepidum; — si virium jactura compareat; sedata istius causa, nutrientia, excitantia externa, interna, frictiones cutis, sinapismi, vesicantia, vini portio generosi, alcali volatile, serpentariae virginiane infusum, corticisque decoctum indicatur *a*).

a) Ill. *Frank.* Epitom. Tom. III. p. 149.

Non raro videntur puerperae successive singulis puerperiis idem subeuntes periculum, et demum intersectae, licet bona

va-

valetudine intermedio tempore usae sint. Rarissimum quoddam simplicis morbi exemplum rem hanc illustrat.

Virgo annum agens 21mum sanguineo-lymphatica, sana et robusta, habitus spongiosi, vasis sanguineis parvis praedita, post magnam perspirationis ex frigore externo suppressionem, febre acuta paullo post hyemale solstitium anni 1752, cum dolore rheumatico ad ilei sinistri regionem, et symptomatis plerisque in febre miliari comparere solitis, corripitur. Quinta die exeunt miliaria exanthemata, quae cum magnis sudoribus usque ad decimum septimum copiosissima per varias vices eruperunt, cum consueto morbi progressu: vigesimo primo febre immunis exstitit.

Lente convaluit, per reliquam hyemem in cubiculo maxime frigido et humido degens. Nondum ex integro valetudine restituta redit, qui prima morbi initia fecerat, dolor rheumaticus, et sensus stuporis pungitivi; in digitis manuum, et pedum (*crampus*) dicti. His accedunt facilis ex levi causa timor, et terror, cum subsequenti palpitatione. Cum mediocri sanitate reliquum annum transigit, sed post

sol-

solstitium anni 1753., postquam dolor rheumaticus gravior, et *crampus* frequentior fuisset, iterum lecto decumbere cogitur, ut consimilem morbum patiatur. Proxime elapso vere undecimam sustulit morbi hujus accessionem; primis enim tribus annis circa solstitium tantum prehensa morbo fuit, sed sequentibus annis bis, hyeme scilicet, et vere; ex vernali accessione gravius laborans.

Sine ulla febri, sed cum pulsu aliquantulum contracto intervalla sanitatis ducit, sequentia incommoda ferens: dolorem ad ilium rheumaticum, crampum, somnia terrifica, et cum magna cordis palpitatione somnum interrumpentia; lassitudinem corporis; ad scrobiculum constrictionis sensum, et ex hac causa respirandi angustias; tendinum ad occiput rigidas tensiones; molestissimas capitis post pastum praecipue calefactiones; aures varie frequentissime sonantes; et cum ad somnum super cervical se componit, importunas carotidum pulsationes Semper aliquantisper tremula est, et decolores perpetuo urinas esse narrat. His omnibus a tribus annis jungitur inanis tussicula, cum gustu sa-

salivarum aliquando salso, et catameniorum diminutio.

Haec omnia symptomata aestivis mensibus mitiora sunt, et facile tolerabilia. Quantoque hac tempestate pustulae aliquae in dorso eruperunt. Nunquam, ex quo hunc morbum patitur, nec urgente canicula, sudat, quae alias antea sudore facile madebat.

Accedente autumno sensim incommoda crescunt, cum urinis aqueis; et demum ex lassitudine, febricula, dolore capitis cogitur lectum petere: sequenti autem modo morbus progreditur.

Lassitudo summa corporis, assidui fere crampi, et reliqua symptomata febrem comitantur; interdum cum angina, aliquando odontalgia, semel cum tetano morbo incipiente. Artuum tremores continuo usque ad summum morbi increscunt; pulsu continuo contractiore facto, denique non percipiendo. Carotides gradatim cum majori violentia pulsant. Pectoris angustia et anxietas fit summa, ut suffocari misera videatur. Sexto die saepius, post aliquot madores, rubra, aut minutissima pellucida apparent in pectore exanthemata, quae

cito

cito cum sudore disparent. Hoc tempus est, quo tremores, caeteraque symptomata augentur, et continuis fuerit concussa tremoribus convulsivis; mente plerumque constans, sed balbutiens, et pène aphona, caligine oculis offusa, eo redigatur perinde, ac si nulla spes amplius superesse videretur. Haec interim postquam ad summum pervenerunt, paulatim iterum imminuuntur, et jam valde inclinato morbo, olido aliquo sudore apparente, urinis tàntillum coloratis, et demum turbatis, solitus redit valetudinis status fere sine cuticuliae decidentia. Dies summus morbi solet esse in hyemali accessione decimus quartus, aut decimus septimus; in vernali vigesimus primus, et ultra. Anno 1750. verno tempore tetani convulsio viginti horarum spatio resoluta, morbum incepit, sed in morbo summo scotomia, et aphonia affecta fuit, quae ad viginti dies perdurarunt, visu et linguae usu paullatim reddito. Sanguis extractus coccineus, et sine sero semper visus est. Ad morbum exstirpandum inutilia fuerunt multorum generum praesidia, extra accessionis tempus maxime instituta. Adhibita vero sunt bal-

balnea tepida aquae dulcis: lac; chinae carnosae, salsae, aliorumque diaphoreticorum decoctiones. Morbus in accessione curatus est per diluentia, demulcentia, emollientia, bezoartica, antispasmodica, maxime ex succinatis, sudorifera vehementiora, antiseptica, corroborantia etc. Observatum est, haec omnia incassum adhibita fuisse; V. S. repetitam nocuisse, uti etiam opiata, et nullam utilitatem vesicantia attulisse. Binae postremae accessiones, in quibus nulla instituta est venae sectio, assiduae datae emulsiones ex amygdalis pini et melonum seminibus, et sumptus bolus ex succino, et pulvere radicis valerianae, aliquantisper mitiores fuere, vesicularum miliarium nonnullae majores factae sunt, et cuticula aliquibus locis decidit.

Quae porro morborum miliarium exanthemati succedentium cura habenda sit, ex *Allionio* adjiciam *a*).

1) Difficilis post morbum sudatio haerentem in minimis cutis vasis humorem indicat, eaque vincitur frictionibus, tepidoque balneo, et corporis exercitio.

2) Vari, furunculi, et similia pustularum genera morbum consequentia motus naturae sunt morbi reliquias expellentis, quos medicus juvabit externe frictionibus, tepido balneo; interne vero attenuantibus, et corroborantibus, ut incongrua materies ex integro eliminetur. Ad hunc finem adhibentur vipera, radix chinae, salsaparilla, scabiosae, bordanae radix.

3) Facili ex quocunque motu sudationi ex sola vasorum debilitate, proderunt frictiones, et balnea minimum tepida, et corroborantia; verum si superstes aliqua miasmatis copia eam foveat, nocebit balneum frigidum, et colenda accurate erit perspiratio.

4) Memoriae infirmitas, et nervorum mobilitas euchimum cibum, facilisque concoctionis, corporis exercitium, et moderatam defatigationem, animi tranquillitatem, rusticationem, aëris puri usuram, frictiones, oleosa nervina, et saepe quae humorum acrimoniam obtundere possunt, requirit.

5) Rheumatismus iis saepe advenit, quorum lympha viscido salina est: eo autem in casu confert lacte, sero lactis, aliisque

que similibus acrem humorum indolem corrigere, et eorum visciditatem solvere mitibus attenuantibus; solida emollire balneo; vasa demum aperire thermarum sulphurearum usu.

6) Si permanentia symptomata convulsivica aliquam adhuc miasmatis copiam residuam superesse indicaverint, nihil opportunius erit, quam diutissimus balnei tepidi usus.

7) Quae varia sequi possunt ex diversa aegrorum constitutione mala, et morborum complicationibus, ex cognita natura morbi complicati curare oportet.

a) *Allioni*, Libr. c. p. 49.

Petechiae.

Ab ineunte saeculo XVI. peticulare exanthema universim in Italia, imo in Europa tota innotuit. Morbus hic novus in Italia habitus est, ex plagis orientalibus, speciatimque ex Insula Cypro in hanc regionem delatus est, notante *Fracastorio a*). Attamen veteribus jam medicis morbus hic cognitus erat. Hic enim apud *Aëtium* occurrit locus *b*): *Gignuntur quoque exanthe-*

mata principio febrium non simplicium, sed malignarum, sparsim per totum corpus vibices, aut maculae pulicum morsibus similes. Antequam autem peticulae ab Italis describerentur, observatae eae sunt a *Jacobo de Partibus* c), medico apud Gallos celeberrimo, qui obiit anno 1463., aut secundum alios anno 1465. Is enim in *Commentario ad Avicennam prima quarti, Tract.* 4. *cap.* 2. maculas, quae febribus acutis superveniunt, pulicum morsibus similes commemoravit.

a) *Fracastorius.* de morb. contag. L. 2. cap. 6.

b) *Aëtius* Tetrabibl. secund. Serm. I. cap. CXXIX. *Langius* Epist. med. Libr. II. Epist. XV. de Italorum febre lenticulari.

c) *Hieron. Mercurialis* Praelect. Pisan. ad Hist. Hippocratis. Hist. 2.

Sunt vero *petechiae* cutis maculae, pulicum fere morsibus, deficiente tamen in medio punctura, simillimae, mox rubrae, purpureae, mox bruneae, lividae, aut fere nigrae, vel et pallidae, subflavae, magnitudinis diversae, subrotundae, vel inaequales, planae, nec tactu distinguendae, nec a compressione evanescentes, insensiles, utplurimum discretae, febrilium mor-

morborum plerumque sociae, incertis tamen morbi diebus ad jugulum, pectus, antibrachium, vel ad totam superficiem, rarius ad faciem prorumpentes: quae maculae nec tempore sat fixo florere, nec maturescere, nec tandem in spumas decidere observantur *a*).

Haec vero exanthematis species utplurimum licet *febrilis*, multis tamen, et ipsi etiam *Frankio*, *sine febre* comparuisse visa est, ac non modo acutorum morborum naturam imitari, sed et chronicam hinc inde indolem assumere observatur. *Sporadicae* quoque nullo non tempore petechiae cernuntur; sed sub incognita anni constitutione *epidemice* uberius florent, ac fere princeps regnantis morbi, saltem, quod suum febribus nomen apud recentiores potissimum impertiatur, phaenomenon constituere videntur. In paludosis regionibus, atque in magnis hominum impurorum societatibus, vix non *endemicae* occurrunt petechiae. Pro ipsa vero febris, cujus satellites peticulae constituunt, diversitate, nunc *periodicam* habuisse naturam, nunc *nervosae* ac *malignae*, frequentius *gastricae*, interdum *inflammatoriae* indolis testimonium

edere observantur; atque in maximo certe febrium istarum numero *symptomaticae* prorsus, in paucissimis vero cum aegrotantium emolumento, seu *criticae* comparent. *Artificiales*, utpote calefacientis, ac abhorrentis ab evacuationibus methodi progenies, petechiae frequenter occurrunt; sed pro talibus ubique declarari sine magna medentium injuria non possunt.

Quamvis autem *petechiae* nunc sine febre, nunc antequam haec ipsa prorumpat, — in aliis vero mox cum ista, vel tardius, et non modo primis fere morbis temporibus, sed octava, duodecima, decima etiam quarta, aut seriori die, — quid quod interdum a morte demum, efflorescant; nullibi tamen, nisi epidemicus jam pateat morbi regnantis character, vel certo et sibi proprio, nec pathognomico signo aut praedici possunt, aut morbi caput constituere, aut primatu gaudere videntur.

Varia quidem a scriptoribus prodroma instantis exanthematis signa ponuntur: imbecillitas, stupor, somnolentia, agrypnia, virium singularis prostratio, lassitudo ac dolor a dorso quasi proveniens, ar-

ardor faucium, coryza, capitis gravitas, aut obtusus dolor, vagi per totum corpus dolores, anxietas praecordiorum, nausea, vomituritio, obstructio alvi, aut laxitas ejusdem, urina pellucida, quasi hominis sani, aut jumentosa, aut profund tincta; pulsus exiles, inaequales, faciei pallor etc. Sed nullum certe ex his signis pathognomicum vocari potest; aut non frequenter admodum cum petechiis haud conjungi, aut sine istis incedere observatur. Sicut, qui petechiarum historiam conscribere tentaret, oporteret hunc contrarios protinus inter se morbos conscribere, et quae istorum sunt, quo ipsum certe exanthema spectat, petechiis attribuere.

a) *Ill. Frank* Epitome Tom. III.

Juvat interim, pergit *Illustris Frank*, quae sub certis epidemiis tam pertinaciter febribus adhaerent, ut nec ullo quidem praeveniri semper remedio queant, ac ut fere primarium in istis, constantissimumque symptoma offerre videantur, succinctam satis ideam habere. In illis vero partibus, quibus cutis tenerior est, potissimum efflorescunt *petechiae*; hinc ad late-

 ra-

rales colli provincias, ad mammas, juxta brachiorum interiora, maxime vero a flexura cubiti ad carpum usque, nec facile, si hic desint, alibi comparere observantur. In tam insigni petechizantium, quos Ill. *Frankius* tractavit numero, nec unum quidem (quod aliis tamen, ac veridicis observatoribus frequenter, imprimis ad palpebras obvenit) cum *peticulis* ad faciem conspexit. Nec *internas* illi observare licuit, observatas licet ab aliis petechias; forte quod in aperiendis hominum contagiosa febre mortuorum cadaveribus paullo cautior fuerit, datum fuit hucusque conspicere.

Utplurimum quidem colore sat laete rubro petechiae comparent, sed constans in hoc nihil est, ac unius fere diei spatio, aut omnino (ac saepe quidem sine damno manifesto) disparent; aut colorem suum multoties mutant. Saepius vero ad castaneum hic vergit, interdum in lividum, mox vero iterum in rubrum, aut quod pejori subinde omine contingit, in atrum transire consuevit.

Interdum in uno eodemque aegrotante omnes simul petechiae varii coloris obser-

servantur, ut cutis inde marmoris fere adinstar variegata compareat. Alias vero petechiae lenticularum ferme, aut communis a pulice oriundae maculae magnitudinem adaequant: alias seminis papaveris aut milii latitudinem, aut tot fere acicularum subtilissimos apices, ac nisi obliquo sub intuitu inconspicua fere punctula referunt.

Ad petechias certe referendae sunt tum diffusae, quasi ab insperso cuti atramento, laetiores, ac umbrarum instar limitibus destitutae maculae: tum lineae, quasi calamo scriptorio exaratae; tum quas in duobus aegrotis cum lethali eventu conspexit, *aethiopicae*, ac a digitorum apicibus ad carpum usque nigricantes *manus*.

Nec alterius certe naturae sunt *vibices*, vel striae longitudinales ex profundo rubrae, aut flammeae, aut lividae, ceruleae, ac fere nigrae, interdum fere virides, radiorum in formam, aut quasi caesa virgis cutis fuisset, in diversos sensus diffusae: quae singula tot parvas, majoresque sub epidermide a causis internis, aut cutaneorum vasorum vitio profectas echymoses

sistunt; quae sicut ab externa compressione nec minime disparent, ac per ipsam interdum cutem, sub forma conulorum profundius penetrant; sic quoque nec tumorem sistunt, nec dolorem aut ardorem produnt, nec denique, cum evanescunt, per desquamationem cuticulae, nisi paucissimis, terminantur.

Rarior, sed a magno viro descripta petechiarum morbillos referentium forma est: quae tamen etiam Ill. *Frankius* in *Göttingensi* foemina quondam conspexit: ubi numerosae ad antibrachiorum interna comparebant verae et roseae petechiae; sed ad caeterum corpus elevatae videbantur rubri coloris pustulae copiosae, sat latae, nec sero repletae, quae cum altera mox die a frigore repellerentur, dispnoeam, ac venae sectionis necessitatem induxerunt. Caeterum cum aliis exanthematibus connubium non recusant peticulae, ac saepe variolis, morbillis interspersae, vel cum miliaribus intermixtae observantur.

Multae vero ac interdum innumerae, vel paucae sunt petechiae: eaeque nunc post primos jam dies evanescunt, nec de-

nuo redeunt, nunc vero pro tertia adeo vice prorumpunt: atque in quibusdam petechiae morbo jam penitus devicto in cute persistebant, atque *chronicam* potius assumentes naturam, nunc ex illa disparere, nunc sine febris indicio revertere cernebantur. Etiam sine febre, aut alia functionum laesione praecedente, peticulae interdum comparent, et tales tam ab aliis descriptae, tam ab ipso auctore conspectae fuerunt.

Tam rarum est, febrem praesentem a petechiarum eruptione mitescere, ac solvi, ut potius ab ista, in quam plurimis augeri symptomata — in aliis saltem non decrescere — in nullo vero morborum judicari, Ill. *Frankius* in epidemiis non paucis conspexit. Ab aliis hinc inde a petechiarum efflorescentia symptomatum moderamen observatum fuit. Singulae, sed in *Veronensi* epidemia, sub medio saeculi XVII. frequenter adnotatum est, symptoma, *horrenda*, *phthiriasis*, quae ante septimum praesertim apparens, majorem aegrotantium partem miserrime sustulit. Frequentius cum petechiis haemorrhagiae, sopores, deliria, subsultus tendinum, con-

vulsiones, gangrenae incedunt: quae tamen singula non ex petechiis certe, sed ex eodem, quo istae propullularunt, fonte, derivanda sunt.

Multiplex haec petechiarum origo, ac vario pro febris, sub quo florent, imperio, natura est. Nihil certe aliud haec exanthemata sistit, quam parvam sub epidermide *echymosin*, et stagnantis sub ista cruoris guttulam: quae magis minusque diffusa, petechiam nunc latiorem, nunc vero peticulam efformat, ac pro varia effusi liquidi copia et directione, umbrosas nunc maculas, nunc strias vibicesque constituit. Similem certe *petechiae*, cum *scorbuticorum maculis* agnoscunt genesin, nec alia, quam ignotae in scorbuto causae proximae ratione inter se differunt, ac solius fere praesentia febris, aliorumque huic ultimo propriorum symptomatum effectu, *petechiae* distinguuntur ab illo. Simplicissimam, quae laeso per proboscidem pulicis vasculo ad cutem exoritur macula, perforata licet epidermide, petechiam sistit; parumque ad explicationem interest, quo demum vascula cutanea modo contenti cruoris guttulam in vicinum cellulosum spatium, aut

in sic dictum recte mucosum transudent; atque vel sanguinis ab impetu, vel consistentiae in eodem defectu, vel demum ipsorum culpa vasorum, haec contingant; nascitur macula, quae pro causae, ex qua pendet, ratione diversa, significationem aut nullam aut parvam, aut denique maximam in morbis habebit. Vel a brevissima solis in teneriorem albissimamque cutem actione, copiosae mox in ruffis, fulsoque capillo praeditis hominibus *lentigines* oriuntur: quae totidem fere, sed innocentes certe ac redeunte hyeme facile disparentes, peticulas, seu brunei et castanei coloris maculas sub epidermide ostendunt. Non longe ab his, nisi extensione majori, distant foeminarum utero ferentium maculae, quae certe, sicut a vasorum cutaneorum neglecto paulisper in contentos liquores officio dependent; sic miram consensus uterini in pellem potentiam ostendunt. Similem vero, vel solo nervorum abdominalium attactu exercent, quae ad primas vias tam saepe colliguntur, acriores, ac infestae saburrae; nec opus est, ad putridam ipsius adeo sanguinis resolutionem in his explicandis recurrere; quae

vel

vel solo interdum emetico, aut purgante alvum remedio dissipantur in horas, aut in multis sine febris, aut morbi vestigio in cute prorumpunt.

Frequenter satis in morbis inflammatoriis petechiae, ac emissus sub istis in firmam certe insulam compactus, ac denso corio obtectus sanguis conspiciuntur. Tenuior quidem hic, nec tam facile coagulabilis in *scorbuticis hydropicisque* multis, — sed non ideo *putridus* conspicitur; ac in utroque hoc morbo non minus, quam in febribus *nervosis* cum petechiis, haemorrhagiis, solidorum in sanguinem infirmius reagentium culpa, quam vitio proprio, diffluere, ac, ne vasis coerceri queat, sanguinem resolvi existimandum est. Si res aliter se haberet; certae non tam felix tantae quidem in massa humorum corruptionis eventus in multis foret; nec in scorbuto vel solus vegetabilium recentium, tum acidorum, tum aliorum usus hunc sanguinis statum certius, quam ipse cortex, tam potenter dissiparet.

Varia igitur petechiarum inter causas referri oportet, atque vel sordes abdominales, vel ignotum ac epidemico charac-

cte-

ctere generatum acre, aut vim vitae nimiam, aut imminutam vasculorum resistentiam, ac statum quasi semiparalyticum, vel forsitan ipsam lymphae ab acri latente inductam tenuitatem hic accusabimus. Non gratuita est haec acredinis in sanguine vi contagii, aut alia evolutae suppositio: si consideremus, tum ipsas petechias interdum cum caeterorum emolumento symptomatum prorupisse; tum frequentes satis in febribus, quae petechiis quam maxime favent, *nervosis*, metastases, cum bonis aegroti rebus contingere, quae omnia, sicut eliminatam ad superficiem corporis morbi testantur materiam; sic et alienam istius a putredine, vim vitae omnem mox praefocante, naturam esse, luculenter ostendunt.

A febre magis ac morbi causa, quam a re quavis alia, regitur petechiarum prognosis. Ex numero istarum aut majori, aut minori, — ex citiori aut tardiori exanthematis eruptione, nec majora semper, nec minora resultant pericula Interim diversa epidemiae regnantis natura, diversam interdum istorum significationem inducit; ac visae sunt petechiae, quae, cum

ultra

ultra pectus, dorsum, ac lumbos non procedebant, lethales fuere; quae vero in superioribus disparentes, cum summo emolumento ad partes inferiores prorupere. Nec omnino negandum est, petechias jam prima morbi die efflorescentes, interdum de summa ejusdem gravitate, quod et ipsi *pesti* solemne est, testari Periculosiores in genere sunt petechiae, quas nonnisi oculis transversa tuentibus licet inspicere, aut quae intra cutem paullo latius procedunt, ac inter caeteras, quasi atramenti guttula chartae emporeticae inspersa, diffluere videntur: si nempe vis vitae minor hanc incompletam, aut insolitam exanthematis expulsionem simul comitetur. Singultus, aut convulsiones post istius efflorescentiam continuantia, periculosum plerumque aegrotantis statum esse indicant. Ipse quidem peticularum *color*, nec per diem satis constans est, ut ex eadem aut firma prognosis hauriri queat; nec ruberrimae quidem petechiae ubique tam bonae dicendae sunt Lividiores interim in cute maculae aut vibices fatalem saepius comitantur exitum, atque tam haemorrhagias profusas, quam partium gangrenam interdum

prae-

praedicunt. Maxima haemorrhagiarum hoc sub statu, nec arcenda fere discrimina esse observantur. A petechiarum ex cute discessione, saepius nullum damnum conspicitur; sunt tamen, quibus haec ipsa periculosiorum mox symptomatum origo fuerit. Contagiosas, nisi febris ratione, haberi petechias, non paucae rationes habent. Si vero istae exanthematibus aliis, ut variolis, vel morbillis interserantur, majora abhinc principalis morbi pericula plerumque observamus. Interim et ipsi interdum intermittenti febri conjunctae peticulae, istius nequaquam discrimina adauxerunt. Sat frequens petechiarum per diarrhoeas judicatio est, si nempe morbus, in quo illae comparuerunt, ad gastricos pertinuerit. In aliis, vel in istis, ubi vires vitae jam prostratae jacent, diarrhoea periculum adauget. *Scabiem* post petechias in pluribus prodiisse, singularis in epidemia *Vindobonensi* docuit observatio. *Ictero* post septimam in pluribus comparente, petechias salutariter judicatas *Veronensis* quondam epidemia ostendit. Praestantior utplurimum per sudores hic crisis est, ac interdum, pro genio

istius,

istius, critici ad cutem abscessus contingunt.

Methodus medendi petechiis non alia, quam febribus, quibus accedunt, atque causis, unde oriuntur, esse potest. Hinc ob hoc quidem in morbis symptoma, nihil unquam in illa mutandum; atque vel emeticum, vel purgans remedium, vel cardiaca interdum remedia, vel ipsa in aliis venae sectio, persistente licet ad cutem exanthemate, quotiescunque princeps id morbus exigeret, animose praescribenda est. Frequentius certe cum febre *gastrica*, quam cum alia petechiae incedunt; atque hinc frequentior emeticorum sub ipso morbi principio, ac purgantium usus est. Interdum haec ultima, ob singularem intestinorum inertiam, paullo fortiora eligere oportuit, sed plerumque plurimum ex refractis tartari emetici dosibus auxilium habetur.

In petechiis gastrico nervosam comitantibus, institutis jam necessariis evacuationibus, confortantia et excitantia, tum interna, tum externa, vinum scilicet, extractum corticis, serpentariae virginianae, valerianae radices, camphora, moschus,

ve-

vesicantia etc. pro diverso morbi stadio, ob febrim magis, quam ob petechias, adhibenda erunt. Ubi forsitan ob neglectum in initio morbi emeticum, diarrhoea symptomatica, viribus inimica comparet, cortex peruvianus cum opio junctus indicatur.

In petechiis cum *inflammatoria* febre incedentibus, non posse modo, sed et debere sanguinem, pro impetus febrilis ratione educi, jam dictum est. Hoc quidem evacuationis genus sub initio magis, quam adolescente jam morbo conducit; sed et sub media petechiarum efflorescentia interdum venae sectio indicatur, atque valent hinc singula, quae de febris tum nervosae, tum gastricae cum inflammatoria complicationibus alibi exposita habentur.

Febrim petechialem, stationario more in Mutinensi civitate annis 1692–94. grassantem *Rammazzini* a) descripsit, quae certe febris epidemicae descriptio non unam ob causam medicorum attentionem meretur; ut itaque praecipuas hujus epidemici morbi notas, et succinctam totius decursus descriptionem hic exponere haud inutilem esse operam existimem.

a) *Ramazzini* Opera omnia. p. 187.

Hyems anno 1692. satis regularis fuit ac legitima, nec quid insolens habuit, quod nostro huic climati non congrueret, primo quidem boreales venti ad aliquot dies satis valide perflarunt. Terra nondum nivali vellere adaperta, unde metus, ne sata exurerentur, sed ventis post medium silentibus, ac modicis nivibus delapsis, hyems propriam temperiem, et eas conditiones habuit, quas recensuit *Hippocrates*, nimirum ut sit moderata, neque valde clemens, neque frigiditate excedat. Morbi itaque hyemales observati sunt, ut tusses, pleuritides, erysipelata, apoplexiae, ac in iis praecipue, qui praecedenti anno a gravi aliquo morbo conflictati fuerant; major tamen pars eorum, qui aegrotarunt, evasit, demtis paucis quibusdam senioribus, et silicernio jam proximis.

Neque vero a sibi debita temperie multum descivit *vernale tempus*; satis enim moderatae fuerunt pluviae, ac interpolatae, quales agricolarum votis responderent; sicuti *aestas*, quae successit non admodum fervida, ut praecedenti anno, neque nimis sicca extitit, sed pluviis identidem labentibus, ac Etesiis suo tempore flantibus,

ta-

talis fuit, qualis nostro coelo congrueret; quare messem, si non plane frugiferam, qualem publica necessitas optabat, non improbandam tamen exhibuit. Haud secus *Autumnus* statum suum regulariter percurrens cum prima parte hyemis non admodum rigida annum clausit. Sic totum annum satis placidum, ac austrinum quoad primam qualitatum temperiem exegimus.

Non ea vero moderatione sequens annus processit, illum enim totum intemperatum, ac prorsus exlegem experti fuimus. Hyemem totam cum perpetua coeli serenitate, et mitissimis frigoribus transegimus sine pluviis, ac sine nivibus, nec solum in hac planitie nostra, ubi sedet *Mutina*, sed neque in editissimis *Apennini* jugis, quae alias per totám hyemem, et vernum quoque tempus albescunt, mari supero et infero canum verticem ostentantes; sic neque *Gabellus*, et *Scultenua* (inter quae flumina urbs haec posita est) glaciem, ut caeteris annis, sensere, quod multum contulit ad annonae caritatem levandam; cum tota hyeme per haec flumina frumentatores e proximis regionibus commeatus ad nos abunde conveherent, ad plebem

nostram, et germanos milites alendos, qui hoc anno quoque apud nos hybernarunt. Sic veris speciem hyems tota austrina exhibuit, cui postmodum ver successit hyemis naturam, veluti mutatis vicibus referens; ab aequinoctio verno etenim usque fere ad solstitium, perpetua fere frigora, cum ventis aquilonaribus, atque perennes fuere pluviae, eaeque adeo ingentes, ut passim flumina ruptis aggeribus campos inundarent.

Jam nefastum annum et insalubrem nemo non praevidebat, tum ob pluviarum vim magnam, qua e morborum sunt seminarium, tum ob apparentia in mororum foliis signa rubiginis, quae sterilitatis prodromus est, ut annis superioribus summa totius *Cispadanae* et *Transpadanae regionis* calamitate experti fuimus. Eodem modo subsequens aestas, usque ad caniculares dies, veris speciem exhibuit, quo tempore satis curiosum fuit, apud nos saltem, luscinias audire pro cicadis arbusta rumpentes. Sic ventum est ad aestatem cum mitissima aëris temperie, nobis tamen impropria, pluviis identidem magno impetu delabentibus; hinc ob solum valde uligi-

no-

nosum, et satis blandam caloris temperiem, ad tantam altitudinem ac densitatem omne frugum genus excrevit, ut metus anni parum frugiferi ex omnium animis fere exciderit. At improvisa *rubigo*, cujus non obscura indicia, ut dixi, apparuerunt, spem omnium repente elusit; illico enim frumenta, fabae, et quaecunque leguminum genera sydereo afflatu velluti percussa exaruere.

Inopinus itaque casus cum agricolas, tum urbanos quoque perculit; summum enim frugum penuriam non ante visam praesentiebant omnes, quando ex praecedentium annorum sterilitate exhausta essent tum publica, tum privata horrea, nec aliunde comitatus, ut ex *Mantuano* et *Fenniensi* agro possent suppetere, eum eadem rubigalis contagio totam Cispadanam ac Transpadanam regionem pervasisset.

At non solum cereales opes absumpsit haec pestis, sed omne etiam subsidium, quod pomifer autumnus solet suggerere, eodem tempore sustulit, solum enim acerbis adhuc fructibus passim respersum spectabatur, quin et plantae ipsae honore frondium orbatae media aestate visebantur.

tur. Uvarum quoque proventus, qui ab initio autem sperabatur, ob eandem causam nonnisi parcissimus praevidebatur. Moerore itaque cuncta plena erant, dum agricolae in areis non tererent, nisi leves culmos, stipulasque volantes; quare sine Cereris et Bacchi muneribus in omnibus praecordiis frigebat sanguis. Harum calamitatum causa potissima, frigida, et pluviosa constitutio passim culpabatur; quoties enim in hisce regionibus aestas sicca et fervens praecessit, nunquam frumenti inopia laboratum est.

Autumnus porro aestatis vicem supplens summis fervoribus, et obstinatissima siccitate totam humiditatem, quam terra post tam ingentes pluvias ad satietatem hauserat, absumpsit; nec calor remisit, nisi circa primam partem adventantis hyemis, quae et ipsa leges suas nullatenus servans, verum satis placida et mitis decedenti anno valedixit. Sic in hujus anni 1693. constitutione nulla ex illius partibus legitimam, ac propriam temperiem servavit, sed una alterius vices subeunte, omnes extemporaneae fuerunt.

Sicuti autem prima pars hyemis, quae praecedentem annum clausit satis placida, ut modo dixi, extitit, ita pars altera, quae anno 1694. fores aperuit, asperrima, ac rigidissima facie apparuit; per totum enim fere Januarii mensem flarunt boreales venti cum perpetua coeli serenitate, ut squallidum et pulverulentum solium undequaque viseretur, non secus, ac aestivis mensibus, quod apud nos prorsus insolens est, sic totam hyemem serenam sine aquae guttula e coelo decidua traduximus. Appetente autem verno aequinoctio coelum votis communibus respondit, largis imbribus effusis, qui usque ad Aprilis initium perdurarunt; quibus postea, flante Austro, ingens caliditas successit, ut die quinta Aprilis in meo thermometro liquor 70mum gradum pertigerit, quo interdum neque Junio mense devenire consuevit. Reliquum porro veris, ac totam aestatem cum pertinacissima siccitate, et immoderato calore transegimus, autumno quoque eundem tenorem, quod siccitatem spectat, servante: quare annum signare licuit prae caeteris valde siccum, et squallidum; colonis tamen non prorsus ingratum, cum fru-

gum et vini proventum non improbandum suppeditavit.

Affectus ille epidemicus, qui tribus hisce annis in suis constitutionibus inter se tam dissimilibus, cum urbem, tum villas, et vicina oppida multis funeribus infestavit, fuit *febris purpurata*, seu *petechialis*, ut appellant, quae aliquando quidem post multam stragem editam, visa est velle receptui canere, sed postmodum auctis veluti viribus violentior imminebat, ac populariter grassabatur. Circa aequinoctium vernale anni 1692. haec febris primo caput extulit, ac sub initio levi quadam velitatione discurrens, mox per totum veris tempus, et partem aestatis, usque ad canis exortum sub peticulari larva saevitiem suam exercuit. Febris haec purpuram deposuit, nec illam resumpsit, donec calor aestivus coeperit remittere, circa nimirum Arcturi exortum, quem morem annis quoque sequentibus rite servavit, vestem quidem, sed mores ac genium haud quaquam mutans; febres enim, quae summo aestu sine peticulis visebantur, haud secus malignae erant, quam *vibices* post mortem apparentes satis demonstrabant.

Sym-

Symptomata, quae febrem hanc malignam comitabantur, antequam peticulae apparerent, erant *ingens totius dorsi lassitudo, capitis dolor, aurium surditas, faucium ardor, mentis stupiditas, praecordiorum anxietas, et totius corporis segnities. Dorsi vero et regionis lumbaris lassitudo*, adeo certum erat febris peticularis signum, ut raro falleret; quin sub initium hujus pravae constitutionis, antequam febres istae palam grassarentur, *mulieres*, quae ad morborum symptomata aliquando acutiores sunt, quam *Medentes* ipsi, ex hujusmodi suorum aegrorum querela febris naturam praenunciabant, et medicos monebant, cauto opus esse, nec temere celebrandam phlebotoniam, quarum dictis ac praesagitionibus cum persaepe medentes non auscultarent, apparentibus postea maculis, multa probra ab iisdem cum artis dedecore perferre cogebantur. Sic vero faucium ardor accessisset, hostem detectum clamabant, nec amplius haesitandum de febris natura, jam in faucibus se prodentibus peticulis. Profecto in hac malignarum febrium pertinaci constitutione, quae per triennium saeviit, medicis non minus

cum mulierculis, quam cum febre luctandum fuit, adeo, ut, quod fateri non pudet, necesse fuerit, illorum consiliis et monitis morem gerere, non tam ad illarum importunitatem declinandam, quam quod re vera experientiae rerum magistrae esset obsecundandum.

Pulsus parvi erant, et valde compressi, una cum magna virium prostratione, primis etiam diebus, quae morbo augescente languidiores fiebant, adeo, ut aegrotantes veluti statuae in lectulis decumbentes jacerent, integro fere carnium et totius corporis habitu, quodque admiratione dignum fuit, quotquot hujus febris violentiae succumbebant, pleni ac succulenti, veluti pingues mortis victimae, libitinariis tradebantur. Fortiores autem, ac robustiores, cum foeminas, tum viros, adortae sunt hae febres, non ita vero seniores, nec eos, qui vitam degebant vatudinariam. Urinae vero, vel in ipso hujus febris principio, perturbatae plus minus apparebant, prout major vel minor morbi esset saevities, nec nisi in fine morbi in iis, qui evasere, ad naturalem statum redibant.

Pe-

Peticulae vero utplurimum quarta die, et septima erumpebant, et ii, quibus primis diebus apparuere, omnes fere sublati sunt: primum autem in collo, dorso, et pectore visendas se praebebant, observatumque, neminem evasisse, nisi tandem ad extremos pedum ungues maculae illae se expandissent, in superioribus partibus paulatim evanescendo; quibus autem pectoris et dorsi fines non transilierunt peticulae, mortem obtigisse: varii autem ac diversi coloris erant, prout varii, ac diversi erant aegrotantium habitus; aliae erant rubrae, aliae pallidae, aliae fusci coloris, aliae parvae, aliae latae, àliae in summo, aliae in profundo, et quas nonnisi oculis transversa tuentibus liceret inspicere, quod genus peticularum fuit valde ominosum.

Faucium inflammationem comitem hae febres utplurimum sibi junxere, quae inflammatio in morbi vigore in crustam albam et ulcerosam degenerabat, quod non minus negotium medicis facessebat, quam febris ipsa, cum aegri ob id omnem cum cibum, tum medicamentum aversarentur et multi, qui caeteroquin pacata aliorum

sym-

symptomatum tempestate evasuri credebantur, in ipso veluti portu naufragium perpessi fuerint. Sitis porro in his febribus non adeo ingens erat, ut in aliis acutis febris assolet, nec multae querelae exaudiebantur, sive non sitirent, sive mens obscure aegrotaret.

Quicunque ex hac febrili incursione fati ope, vel medici evasere, nulli excretioni, vel per sudorem, vel per urinam, vel alias vias, per quas natura crises suas moliri solet, salutem acceptam referre poterant, sed solum peticularum suo loco et tempore apparitioni, et earundem per totum corpus exspansioni, lentaeque evanescentiae, salutis beneficium debebant: quin iis, quibus alvi fluxus supervenere, funestum fuit; alvi fluxus autem anno praecipue 1693. hisce febribus peticularibus per autumnum supervenere, quo tempore dysenteriae graves *Hebraeos* potissimum exercuerunt; culpabantur fructus horraei, quibus gens recutita nunquam satis impletur; sed aliae causae altiores subesse poterant.

Satis frequens fuit in his febribus singultus, quamvis parvae febres viderentur, symptoma quidem non minus molestum,

quam

quam ferale et funestum; quotquot enim in hac febre singultuosi reperti sunt, omnes in Libitinae censum devenere. Vix obtinui, ut singultuosi cadaver dissecaretur, ac ventriculus nigris notis spassim compunctus repertus est. Verminatio quoque multa passim exstitit, et ii, quibus initio vermes per os prodierunt, omnes fere exstincti sunt.

Nonnullis suppressa est urina, vacua prorsus existente vesica, praecipue vero id observatum in iis, in quibus pulsus erant parvi ac fere obliterati, ut contigit in juvene quodam Hebraeo, qui cum asphyxia, ac totus gelidus vixit ad quatuor dies, nec urinae quisquam reddidit; antequam autem infelix iste obiret, quamvis toto corpore perfrigefactus, nullibi arteriis micantibus, adeo robustus erat, et ad motum expeditus, ut etiam ipsa die, qua e vivorum statione decessit, e lectulo surrexerit, et suas vestes induerit.

Non pauci post exantlatum morbum veternosi fiebant ac stupidi, rerumque peractarum prorsus immemores, nec nisi post multos dies sibi reddebantur; idem infortunium iis obtigit, qui in his febribus gra-

vem

vem surditatem perpessi fuerant. Mercator quidam, cum ex peticulari febré praeter omnem opinionem convaluisset, surdus omnino ad 40. dies perstitit, at postmodum paulatim ex asse restitutus est.

Frequentiora in urbe, quam in proximis agris fuere funera, ac felicius plebs ruralis, sine ullo utplurimum remedii genere vim morbi eludebat, sive quod in aëre salubriori degerent, sive quod medicis carerent. Non semel idcirco mentem subiit *Virgilianum* illud

O Fortunatos nimium, sua si bona norint Agricolas.

Ac utinam medentes, cum aliquis popularis morbus debacchatur, curiosius scrutarentur a rusticana gente, quae magis fidit parocho, quam medico, quali methodo naturam, tanquam optimum dûcem, sequentes minus a recto tramite aberrarent, ac tutiori methodo ad curandos aegros sibi commissos procederent. Cum autem in his casibus sibi quisque, pro ingenii sui medulo, regulam confingat, secundum quam opus suum moliatur, et in communi morbo tot ac tam diversa remediorum genera in usum revocentur, merito cum *Cel-*

so,

so, cum quis convaluit, dubitari potest, secunda valetudo medicinae, an corporis beneficio, contigerit. Indubium tamen est, quod in communi morbo, sicuti communis est causa, ita communia, et eadem fere deberent esse praesidia. Quotquot autem ex viris agrestibus, quos e peticulari febre evasisse novi, et interrogare potui, non alio modo convaluisse referebant, quam macularum circa septimam diem per totum corpus, et usque ad extremos artus expansione, et earundem lenta evanescentia, sine ulla sensibili humorum excretione.

Quo tempore in hac urbe, et in tota campestri regione, quae circumjacet, ferociebat haec febris, in vicinis collibus, ut in Saxolensi et Scandaniensi ditione, nulli fere aegrotantes visebantur, nec eo pervasit maculosa haec febris, quae tantum in editioribus locis, et in ipsis Apennini jugis, veluti saltu quodam exiliens, vim suam pariter, ac in nostra planitie exercuit.

Sanguis porro, qui secta vena, vel cucurbitulis scarificatis, sive venis sedalibus apertis, educebatur, in universum satis laudabiles notas praeferebat, quantum ocu-

lorum acie liceret assequi; satis enim floridus ac rubicundus apparebat, multoque magis, qui a natura per narium haemorrhagiam profundebatur, neque in ullo aegrotante, cujuscunque temperamenti, sanguinem extractum videre datum est, qui glutinis speciem aliquod praeferret.

Profecto mihi fateri necesse est, in hac peticularium febrium constitutione, adeo improspere venae sectionem cesisse, ut omnes aegri exhorrescerent, quoties sanguinis missio per venae sectionem proponeretur; eam vero fuisse popularem confidentiam in usu cucurbitularum scarificatarum, ut aegros interdum decipere oportuerit, quoties urgeret necessitas sanguinem ex vasis majoribus ob plethoricam dispositionem educendi, sinendo, ut aegris cucurbitulae dorso, et scapulis applicarentur modicum sanguinem extrahendo, deinde paucas post horas sanguine ex vena largiori manu educto. Ea enim haeserat opinio, nec solum apud vulgus imperitum, sed etiam apud Poliatros, quod ubi praemissae fuissent cucurbitulae scarificatae, nullus amplius esset timor de peticularum retrocessione, quamvis postmodum non

se-

semel ex vena mitteretur sanguis; sic curiosum erat, chirurgos passim videre cum sacculis cucurbitularum plenis per urbem cursitantes, dum inconsultis medicis plebeculae hoc remedii genus administrarent. Suspectam itaque, ne dicam infamem, ut scopulos Acroceraunia, venae sectionem in hisce febribus fuisse, fateri lubet, sicuti ex adverso gloriosam cucurbitularum tum scarificatarum, tum siccarum appositionem, sive id fieret ob confirmatam in omnium animis opinionem de hujus remedii efficacia, sive quod revera in illo aliquid abditum esset, quod medicos lateret.

Reliqua porro remedia, quibus hujus febris oppugnatio tentabatur, eo collimabant, ut humorum motum ad corporis ambitum promoverent, qualia sunt, quae sale volatili abundant; sic nullum non ex diaphoreticis in usum revocatum; nihilo felicius tamen prodibant maculae, ni forsan hoc pacto, oleum camino addendo, ut dici solet, febrilis incandescentia augebatur, (quae sibi relicta humorum fugam maturasset), et distrahebatur natura, quae non tam propere depingebat in cute, quod intus moliebatur. Ego me hercle parum

 pro-

profici observans per alcalina, ad acida confugi, nec improsperum successum ex illorum usu adverti, sufflaminato aliquantisper humorum orgasmo. Non ausim tamen asserere, vi hujus, vel illius remedii evasisse, vel periisse quemquam, cum *Andabatarum* ritu necesse fuerit cum hac febre dimicare, neque magis felices in suis curationibus fuisse medicos seniores, et longo usu expertos, quam juniores, ac e scholis nuper egressos, cum in tenebris tam videant caeci, quam oculati.

Ad sollicitandam peticularum eruptionem passim frictiones humidae ex unctione Aëtii ex usu erant, sicuti et vesicantia brachiis,. et cruribus apposita; sed haec magis medicorum apud vulgus, ne quid inausum, aut intentatum fuisset, conducere visa sunt, quam aegrotantium saluti, quibus acuebatur febris, nec propterea facilior contingebat peticularum eruptio, nisi forte ob id retardabantur, facta serosae materiae per vias urinae profusione. Sic in hac febrili incursione omnibus remediis tum internis, tum externis parum proficientibus, satius erat lente festinare, et humorum maturescentiam operiri, spre-

tis

tis querelis adstantium, qui urgebant, velis et remis, ut dici solet, ingruenti tempestati occurrendum, et prolatando magnas corrumpi opportunitates, quibus adversis clamoribus medentes non ausi obsistere, intempestiva et incerta remedia praescribendo, sibi e manibus victoriam eripi viderunt, non secus ac *Pompejus Magnus*, qui cum tergiversando hostem, commeatuum inopia laborantem facile vinci posse cognosceret, militibus tamen et sociis moram increpantibus, praelium miserabili eventu commisit, oblitus solitum *se laudare eos medicos*, qui nihil *unquam aegroti cupiditatibus quidquam indulsissent*, ut scripsit *Plutarchus in vita Pomp.*

Cum primum grassari coepit petechialis haec febris, necdum suspicio esset de populari affectu, purgationes, ut hic fieri assolet, in morborum principio per medicamenta minorativa dicta instituebantur, sed paulo post prodentibus sic peticulis, sudabant medico tacita praecordia culpa, ob metum, ne hujusmodi purgatio exanthematum eruptioni impedimento foret, humoribus ad interna retractis. Peticulis tamen postmodum feliciter erumpentibus,

et stadium suum absolventibus, professores, qui attentius rem observabant, experientia edocti á blanda purgatione non abhorrebant. Ego sane, ubi tempestive accersitus fui, et stomachum impuritatibus oneratum esse conjecturavi, quamvis certus de peticulari febre, levem purgationem praescripsi, neque non solum ullam noxam exinde proficisci, sed facilius exanthemata apparere observavi. — Similem casum refert *Ballonius* Lib. 1. Ep. qui ingenue fatetur, in febribus, quas de genere peticularum non putarat, medicamentum purgans, et venae sectionem praescripsisse, et innocuum utrumque remedium reperiisse.

Ad oppugnandam vero tam infesti hostis pervicaciam, in subsidium quoque accitus est *Peruvianus cortex*, qui caeteris remediis succenturiaret; praecipuus autem illius usus fuit in iis, qui evaserant ex hoc morbo non bene, ut par fuisset, judicato per debitam suo loco, et tempore peticularum eruptionem, et evanescentiam. Iis enim, diuturnis febribus vexatis, febrifugum istud exhibebatur, cujus usus non

mul-

multum contulit aegris subinde in stupiditatem, et soporem delapsis.

Dysenteriis porro, quae anno 1693. per autumnum peticulari febri supervenerunt, egregie contulisse *opiatorum usum* observavi; nec forsan ulla est affectio, in qua securius, et liberaliori dosi exhiberi possit hoc remedii genus, quam in hujusmodi morbo, fractis licet, ac fere attritis viribus. Cuidam acerrima dysenteria laboranti pluries exhibui laudanum opiatum, ad 3-4. grana, sed parvo levamine; vixerat hic ad plures dies omnino gelidus, ac sine pulsu, vires tamen non erant adeo languidae, ut huc et illuc se jactare non posset. Verebar, ne largiori dosi exhibitum laudanum, reliquum flammae vitalis, quae supererat, restingueret; Laudanum rursus ad grana 5. exhibui, ex quo aeger placide dormivit, et excalefactus est, quod non tam doloris, qui dysenterias comitatur, sedatione factum crediderim, quam propter virtutem opii diaphoreticam. Cum satis obvium esset in hac constitutione (ac praesertim grassantibus dysenteriis, et verminosa affectione) hujusmodi in toto corpore perfrigerationem, una cum pul-

sus abolitione, observare. Non semel subiit admiratio, quare in ventriculi et intestinorum affectibus, tam frequens sit talis perfrigeratio, ac pulsus obscuratio; non ita vero in morbis pectoris, ut in pleuritide, cumtamen hae partes, et ipsae membranosae sint, et cordi proximiores, ni forsan id fiat, quod numerosior nervorum soboles in intestinis et ventriculo inplantetur, quam in pleura, et pulmonum membrana, et ob doloris sensum acutiorem tracto in consensum cerebro, spirituum animalium ad cor influxus intercipiatur, unde postea silente pulsu totum corpus perfrigeretur.

Erysipelas.

Ad ultimum denique exanthematum febrilium genus, erysipelas nempe, devenimus, de cujus sanatione universim ea notanda sunt, quae de cura reliquorum exanthematum monuimus, febris scilicet, cum erysipelate conjunctae, rationem habendam esse.

Morbus hic, ait Ill. *Frankius* a), inflammationibus non minus, quam exanthema-

matibus affinis est: communissima, nec non propria pellis humanae affectio: in qua ad hanc ipsam molesta primum sensatio, superficialis color, pruritus, mox dolor ardens, rubor dilutus, ex pallido subflavus, aequaliter diffusus, splendens, a compressione evanescens, hac cessante citissime revertens, sine duro aut convexo cutis tumore, saepe cum phlyctenis, utplurimum cum febre, alias sine ista comparent, ad vicinas facile partes proserpunt, aut in dissitas inopinato ac celeriter transiliunt; aut protinus non sine magno interiorum periculo disparent, cum pauca in suppurationes, nisi malignas, vel ulcerosas, — saepe cum evidenti in gangraenam dispositione, ac subsequente epidermidis desquamatione.

Varia autem apud auctores hujus exanthematis divisio occurrit. Nunc enim haec cutis affectio exanthematum aemula, et *simplex*, in summa cute limitatur; nunc verae inflammationi quodamodo propius accedit; in subjectam integumentis cellulosam profundius penetrat, atque ruborem magis saturatum, tumorem vero offert conspicuum, sed tamen insigniter urentem,

ac licet minus complanatum, non tamen conscriptum, nec in medio, nisi dum in abscessum, hac in specie non tam infrequentem, transiturus sit, convexum, acuminatum, atque erysipelas *phlegmonodes* apellatum. Nunc oëdematosam tumidamque jam partem prehendens, pallidiorem ab initio et ex seroso subcruentum colorem assumit; a compressione, donec pars magis induruerit, foveam ostendit, atque erysipelas oëdematodes, in gangraenosam devastationem praecipue pronum, vocatur.

a) Ill. *Frank* Epit. Tom. III.

Summam autem cutem Erysipelatis sedem esse, omnino convenit inter autores cum veteres, tum neotericos, idque comprobari ajunt 1) quod manibus contrectata cutis, atque a subjecta pinguedine divulsa totum morbum continere deprehenditur, nec ulla alia particula tumere, dolere, aut reniti invenitur; si de legitimo et simplici erysipelate si sermo sit; 2) quod, ubi gangraena supervenit, solam cutis superficiem ipsa tenet, nec altius, saltem inter initia descendit; 3) quod rubor com-

pres-

pressione evanescit. Quaenam vero cutis pars potissimum officiatur, nec aeque planum est omnibus. Alii enim extima cutis vascula rubris minora, cruori impervia; alii minimas fistulas, per quas tenuissimus halitus, vapor, aut sudor effertur; alii reticulum Malpighianum, et sic porro magis laborare opinantur. At, recte monente *Burserio a)*, vix statui potest morbi sedes in una ex hisce partibus, quin simul aliae consentiant. Tanta profecto est earum omnium connexio, et complicatio. Itaque, qui dixerit, et vasa rubra, et alba, et textum cellulosum cutis, et corpus mucosum affici, non valde a vero aberrabit. Qui enim fieri possit, ut pressione rubor facile evanescat, locum saepe mutet, phlyctenas excitet, aut oëdematis speciem referat, nisi cellulosus textus, corpusque mucosum, quod cutem cum epidermide nectit, occuparetur.

a) *Burserius* Institut. med. pract. Vol. I. §. XXIII.

In *externum* quoque et *internum* datur erysipelas, a veteribus traditum, a recentioribus vero in dubium vocatum est. Novimus tamen, Ill. *Frank* animadvertit, non

modo in viventibus encephalitidem, otitidem, peripneumoniam, enteritidem, singulasque inflammationum species, comparente ad externam corporis superficiem erysipelate, protinus disparuisse; — hoc ipsum vero ab externis genitalibus, sine interruptione phlogosis, per vaginam ad uterum; a facie ad fauces, ad asperam arteriam, pulmones, caeterasque ad partes internas manifeste penetrasse; sed etiam in cadaveribus ad urethram, vesicam, vaginam, uterum, ovaria, intestina, ventriculum, hepar; — in pectore ad pleuram, bronchia, pericardium, cor ipsum, ac vasa majora; in calvaria ad meninges, ad cerebrum ipsum, frequentius certe erysipelatosa, quam phlegmonosa occurrit inflammatio. Ex mammarum scirrho, dexterrima licet manu, per cultrum ablato, erysipelas in singulis fere corporis externi partibus, ac tandem lethalis peripneumonia successit: postquam pulmones undique correptos erysipelate, ex flammeo rubentes, nec duros, sed copioso sero innatantes conspeximus; ac pars plurima certe peripneumoniarum malignarum cum erysipelate pulmonum incedit;

nec durus, nec cocto similis hepati ac ponderosus in cadaveribus pulmo in illis detegitur. Nullum ergo de *interni* erysipelatis frequentia dubium superesse potest; licet signa characteristica, quae hanc potius, quam phlegmonosam affectionem ad viscera indicent, nisi ab externo, aut represso erysipelate, aut a manifesta interna hujus mali ad externam partem non interrupta continuatione; ex epidemica, per sectiones pathologicas confirmata morbi indole; ex cachetica subjecti conditione, ac prona in erysipelas natura; ac demum ex causis inflammationi verae parum faventibus desumatur, adduci non queant *a*).

a) Ill. *Frank* Lib. c. p. 29.

Alia divisio, eaque praxi potissimum inserviens, a febris cum erysipelate conjunctae diversitate desumitur. Haec enim febris modo inflammatoriae, modo biliosae, putridae aut malignae, vel etiam pituitosae indolis est.

Erysipelas phlemognodes, sed non ubique, cum inflammatoria, pura saltem febre incedit: malignarum in nervosis febribus metastasium exemplo, quae, cum manifesto

ad

ad phlegmonosum erysipelas pertineant: saepe tamen inflammatoriam febrem pro comite non agnoscunt. *Erysipelas simplex* utplurimum quidem cum gastricae febris non ambiguis symptomatibus incedit, et hac ex fonte originem trahit; sed male ex *subflavo* erysipelatis colore ad *bilem*, ut latitantem in sanguine causam, argumentantur; nec ubicunque cum hoc ipso vomituritio, aut amarae materiae vomitus occurrit, mox ad gastricam naturam morbi concludimus securi. Nunc etenim in plethoricis subjectis et *simplex erysipelas* inflammatoriam febrim sibi adjungit; nunc vero cum summis licet ventriculi perturbationibus, ac flavescente rubedinis fulgore, non *biliosam*, sed *nervosam* ac fere malignam febris naturam agnoscit, ac in gangraenam festinat.

Alias nec ullum quidem erysipelati febrim fuisse conjunctam vidit Ill. *Frank* (*Erythema* recentiorum): quod in habituali quam maxime, ac per vices, aut per periodos interdum redeunte, nec tamen impetuoso semper incommodo — ac saepe in erysipelate ab externis, levibusque causis progenito observatur.

Fre-

Frequenter satis *epidemicum*, et ex causis semper obscuris pendentem erysipelata originem profitentur, atque partes nunc internas, nunc externas occupando, diversos inter se morbos, inflammationes nempe superficiales, quas *catarrhales* vocant, membranae mucosae narium, faucium, auris internae, tracheae, bronchiorum, ventriculi, intestinorum, vesicae urinariae, pudendorum, aut ad mucosum sub epidermide reticulum conversa, phlogoses producunt.

Nec minus erysipelata mox *idiopathica* cutis, nunc *symptomatico* potius oriuntur vitio; ac pro diversa, quam sibi eligunt, sede, diversa phoenomena producunt.

Criticum interdum erysipelas naturam habere observatur; ac hoc ipso, quo haec scribimus anno, in mediolanensi nosocomio plures ex febre gastrico nervosa decumbentes erysipelate ad faciem comparente sanatos fuisse percipimus. Sed frequentius felicem potius ex parte nobiliori ad minus nobilem ejusdem morbi conversionem exhibere videtur. Paucis in casibus *universale* erysipelas cutem, quam longe patet, omnem, ac simul occupabat;

in aliis non totam quidem ac unico, sed tamen singulas corporis partes diviso impetu ac gradatim invasit. In aliis aut dimidiam, aut fere totam trunci partem, circini in modum circumdat, quod *zoster*, aut *zona* vocatur.

a) Ill. *Frank* Lib. c. p. 32.

Quod autem praecipua erysipelatis symptomata concernit, exanthema hoc nunc febrem praecedit, nunc cum hac ipsa aggreditur hominem; nunc vero post duos utplurimum, aut tres, quatuorve dies aegrotantem invadit. Ex *viginti* subjectis hoc morbo affectis, et quorum historiam ex *Instituti clinici* diariis coram oculis habemus, nonnisi *duo* — priusquam febricitassent — *sex* vero post primum jam caloris ingressum — caeteri vero *duodecim* vel secunda, vel tertia a febris principio die, erysipelate notabantur. Sed, quod attentione dignum, ex iisdem *viginti* aegrotantibus non minor quam *sexdecim* foeminarum numerus observatur.

Pro varia vero partis, quam sibi morbus pro sede eligit, sensibilitate, atque cum aliis consensu, aut minor, aut major

tur-

turbarum est cumulus. Saepius certe cum forti, ac per horas continuante rigore, rarius sine quovis horrore, exordium suum aegritudo sumit. Sequitur mox calor, capitisque dolor, qui saepe post nychtemerum sudore moderatur. Non infrequens secunda morbi die frigus, priori non mitius, est; quod calor iterum ac cephalaea, aut calor cum frigore alternans insequitur. Ad vesperas vero insigniter ille jam augetur; anorexia, oris amaror, nausea, vomituritio, vomitus ipse, inquietudo, pervigilia -- apud infantes mox sopor, interdum convulsio accedunt.

Quocunque vero tempore erysipelas in conspectum prodeat; pars affecta gravitatis primum, atque caloris externi, mox vero pruritus ac fere ustionis sensationem experitur. Interdum, cum ad caput insultus instat, *jugulares* — atque quae post *aures* positae sunt, — si vero extremitatibus exanthema imminet, *axillares* aut *inguinales* glandulae dolent, nec attactum perferunt: quod et ab erysipelate has ad partes jam conspicuo, ad lymphaticas has glandulas, dissito licet ab illo positas loco, contingit. Mox vero descriptus rubor

fere

fere roseus ad minorem primo cutis circuitum, tandem ampliori extensione efflorescere observatur.

Si ad caput, quod frequentius accidit, erysipelas prorumpat, tunc ex una utplurimum gena principium est, mox ad alteram, et ad frontem, brevi tempore ad capillatam capitis partem extensum: tumor vero mox altius, ac in alia fere parte assurgit; inflantur, quasi ab oëdemate, oculosque rubentes abscondunt palpebrae; labium superius, nasusque valdopere crassescunt, aërique per hunc aditus omnis intercluditur; jam aures rubent, splendent, ac insigniter ardent; quo tempore, secunda fere, aut tertia ab eruptione die, et facies, et caput totum ad monstrosam molem, nec tam roseo, quam sat profundo rubore suffusam, summopere dolentem, et quasi totidem ubique aciculis, ut aegrotantes se explicant, ubique punctam augetur. Jam vero plures ex istis, aut in consensum tracto, aut a tam vicino sibi incendio simul correpto cerebro, cerebello, in soporem, aliquando profundum, ac lethargicum labuntur; aut mussitant, aut ferociter delirant; multi vero ob faucium

sub-

tubaeque ex his ad aurem ducentis phlogosin, surdescunt, ac dolent, difficulter deglutiunt, atque symptomatico saepe magis, quam idiopathico stomachi affectu, aeruginosam interdum bilem per vomitum rejiciunt. Atque nunc, quod ore nonnisi aperto respiratio absolvatur, siccissima, ac fere nigra conspicitur lingua; et secedente jam hinc inde in furfures ac pelliculas epidermide, — vigente alibi, ad nasum praeprimis ac frontem livescente tumore; foedus, nec prorsus sibi similis aegrotantis aspectus est. Eadem vero ad capillatam capitis partem rerum conditio in multis observatur, ac ob summam cutis ad occiput tensionem, nec in dorsum fere decumbere, — nec ob auricularis conchae a phlogosi splendentis ac sensibilissimae cruciatus, in lateralem converti situm queunt.

In aliis quidem corporis partibus erysipelate correptis tam notabiles turbae adeo frequenter non occurrunt: nec facile hoc ipsum, nisi phlegmonosae potissimum naturae, in tantum illorum tumorem assurgit. Interim ad *scrotum*, aut sub phymosi, ad *praeputium* conversa phlogosis;

non raro gangraenam citissime has ad partes inducit: quod in pelle vel os nudum, ut in tibia — vel cartilaginem, ut auricularum ad conchas, superveniente, sub non magno licet partis tumore, timendum est. Alias vero, ac mitioris sub indole morbi, inprimis si febris aut nulla, aut perpauca, et malignitatis expers subfuerit, — symptomata moderata admodum incedunt.

Nec tamen vel leviori etiam morbo fides habenda, nec per diem certa securitas est. Extrema scilicet materiae ex una in alteram partem volubilitas, saepius ex leviori istius affectu, mox gravissima in aliis symptomata minatur. Praeter alia non pauca inconstantis morbi exempla, aliud nuper in foemina conspeximus, cui erysipelas, ad duodecimam adeo morbi diem, ex facie ad pedem — ex hoc vero post paucum tempus ad coxam — mox iterum ad sultum: ex isto ad intestina; ex abdomine ad eundem iterum pedem; nunc ad costas ac pulmonem; ultimo vero ac lethali insultu in cerebrum conversum est *a*).

a) Ill. *Frankius* Lib. c. p. 36.

Omnia

Omnia autem hucusque descripta symptomata plurimum subinde exasperantur, a phlyctenis, seu vesiculis, bullisque, materia seroso lymphatica, coloris utplurimum flavi, interdum rubescentis, repletis, super ipsa cutis erysipelate exardentis superficie elevatio: quae *pustulosum* aut *vesiculare* sic dictum *erysipelas* — nec tamen ideo distinctum satis ab aliis, certamque morbi speciem constituit. Sed quemadmodum nec ab ipsius erysipelatis expulsione, priusquam tumor subsideat, symptomata mitescunt: sic et phlyctenaearum eruptio illud ipsum nequicquam infringit. Hae vero, jam primo interdum, quo comparebant die, vel sponte rumpuntur, et aëris ab attactu mox lymphatica liquoris portio condensatur, crustasque duras, flaventes, mox bruneas, ac fere nigras efformat. Ab his ipsis, subjectae cutis inflammatae tensio, irritatio non parum augetur; ac saepe corrosivum fere serum, sub duro hoc tegmine stagnans, eandem profunde exedit, et in ulcus sordidum convertit; aut cum super omni parte extensa, ac pollice, ut vidimus, crassior, inflammatam sic partem inaequali contractione undique

 et

et comprimat, et stimulet; in gangraenam interdum praecipitat. Nec juvat partem erysipelatis aliquam subsidere; nisi febris simul dolorque ubique remittat: cum saepe in vicina alia, non minor, ac in priori stimulus, irritatio, ac serpens e loco in locum inflammatio recurrat.

Tandem vero pro varia erysipelatis vehementia, sub finem quartae aut quintae ab eruptione diei, interdum sexta, septima, vel octava fere, cutis mador, sudorque nocturnus, — in aliis diarrhoea, aut narium haemorrhagia, saepe sudor insimul, ac urina sedimento puriformi instructa, vim febris ac erysipelatis infractam testantur: quod nunc subsidere, pallescere, epidermis vero in furfures, aut squamulas decidere incipit, paucorumque intervallo dierum ex cute disparet. Sub repetito tamen morbi ad partes novas insultu, haec desiderata criseos signa, licet desquamatio hinc illinc secedat, ad undecimam, decimam sextam, ad tardiorem, nec certam aliquando diem differuntur. In leviori erysipelate saepe nulla criseos signa comparent.

Sub *malignae* vero ac *nervosae* febris cum erysipelate ingressu, subinde epidemico, ac, prout medicorum fasti loquuntur, *pestilentiali*, symptomata illius efflorescentiam tum *simplicem*, tum *phlegmonosam* aliquando comitantur: ac summa mox virium prostratio, lipothymia, deliria, sopor, stupor, aut subsultus tendinum, tremores, convulsiones, sine manifesta, ex saburris gastricis, aut ex plethora quaerenda causa, ac celer in livorem partis, ac in gangraenam, aut in pessima ulcera transitus observantur. Vidit nihilominus Ill. *Frankius* vetulam, quae, cum ex improviso lingueretur animo, mox insigni frigore, calore, cephalaea, tussi, dolore faucium, ac erysipelate corripiebatur, pulsum vero vix frequentem, sed durum, linguam mox nigram, debilitatem summam, mentemque deliram manifestabat. Huic vero cum, die morbi licet nona, vena aperiretur, sanguis corio obtectus tam felici effectu educebatur; ut undecima per largum sudorem restitueretur.

Senibus, cacheticisque corporibus, vel et mulieribus, quae menstruorum suppressione laborant, *erysipelas* interdum habi-

tuale redditur, et verno inprimis, vel autumnali tempore, aut mense quovis, periodice redit: utplurimum impetu febreque carens: sed cum crura frequentius petierit, ulcera non raro in iisdem rebellia, aut duritiem cutis cum tumore pedis, nec per vitam solvendam inducit.

Causarum autem, a quibus erysipelas producitur, non unum genus est. Hasce autem praecipue Ill. *Frankius* recenset.

1) Externae quandoque causae erysipelatosam inflammationem invitant. Quaecunque enim cutem stimulo non magno ac superficiali imitare queunt, ea mox erysipelaceam in eadem phlogosin excitare valent. Vel simplex, pauloque rudior frictio hanc inducit. Similes levioris ambustionis, effusae fervidae, sinapismi, vesicantis remedii, puncturae apum, ac liquoris, quem irritata nonnunquam animalcula, insecta in sui defensionem spargunt; vel et illius forte, quem *Chinenses* populi sub vernicis praeparatione tractant, effectus sunt. Frequens ex vulnere interdum levi, ut venae sectione, a fractura ossis, a compressione, erypelas est; et quibus variolae artificialiter inseruntur; his interdum

dum hoc ipsum exanthematis genus circa locum, quo virus infensum latet, abunde prorumpit. Ex tumorum cysticorum ad occiput incauta scarificatione ac refrigerio, erysipelaceum ad caput primo certe internam, mox vero a cerebro ad faciem sub continuo lethargo, ambulantem ac lethalem affectionem observavimus.

2) Potissima istius causa censenda est *refrigerium*, et sub epidermide collecta sudoris materia. Ex incauta mammarum a puerperio denudatione frequentissimum ad illas erysipelas occurrit; ac in frigidioris venti in unam magis partem, ac fortiori actione, saepissime hic morbus originem agnoscit. Qui ob vacillantem salutem, vel ob solum timorem, ab aëre liberiori sibi attentius cavent, aut integumentis caput sollicite nimis fovent atque custodiunt; hic vel ex leviori aëris afflatu erysipelate faciei immunes non vivunt; et ob frequentiorem transpirationis vernali et autumnali tempore suppressionem, erysipelata copiosa se manifestant.

Quodcunque demum acre rheumaticum, arthriticum, herpeticum, vel aliud super cute depositum, producendae forsitan ma-

jori inflammationi impar, erysipelaceum in hac ipsa phlogosin inducit.

3) Sed potissima in *primis viis* erysipelatum officina latet. Quamvis enim ex solo oris amarore, ex nausea, vomituritione, vomituque bilioso ipso, aut ex flavescente erysipelatis colore ad gastricam morbi indolem, non sine magno erroris periculo concludatur; manifesta tamen causarum, cum effectu suo cohaesio frequenter hic adest; ac ipsa medendi methodus saburrarum eliminationi intenta, non tam gratuitam hanc abdominalis originis suppositionem esse, in multis quoque ostendit. Ex bile hinc, et a saburris in primis viis copiosius collectis, et ex verminosa, putridaque intestinorum colluvie erysipelas persaepe originem habere, et ratio suadet, et experientia confirmat.

4) Non parva saepius in erysipelate nervosi systematis auctoritas apparet; nec alia forte causa est, cur a terrore, ab ira, et quovis fortiori mentis pathemate hic morbus tam saepe principium habeat. — Cur certa venena, ac res per idiosyncrasiam corporis nocivae certis hominibus erysipelas concitaverint; — cur ex mino-

ris

ris interdum nervuli laesione sub venae sectionibus, aut a simplici per acum, aut per spinam inducto vix sensibili vulnusculo, erysipelacea tam saepe inflammatio mox membra invadat; — cur tam parva inflammatione, tam insignis saepe, ac fortiori phlegmone major hic dolor urgeat; — cur frequentior in foeminis, quam in viris, ac imprimis tempore, quo mestrua illis prorumpunt, erysipelatis proventus; — cur tam facilis ejusdem in gangraenas conversio; cur tam communis erysipelatis cum febribus nervosis complicatio; — et cur demum non spernendi ex *opio* in certis erysipelatis casibus effectus observentur.

5) Consuetae excretionis tum menstruae, tum haemorrhoidalis suppressio ad frequentem erysipelatis causam spectat; qua fit, ut quo tempore illa absolvi debuisset, hoc ipsum, periodice interdum ad cutem compareat.

6) Ex ipsius cutis vitio in certis subjectis major in erysipelata, eandem vix non semper partem invadentia, dispositio repetenda videtur. Saepe interim ex latente in humoribus acri hanc affectionem habitualem oriri, docet observatio majo-

ris beneficii, quod valetudinarii homines ex consueto erysipelatis reditu experiri cernuntur: docet frequens ulcerum exsiccatorum in cutem effectus, ac major cachecticorum in erysipelas dispositio *a*).

a) Ill. *Frank* Lib. c. p. 51.

In erysipelate curando febris hoc ipsum comitantis, tum causarum, epidemiae regnantis, ac subjecti ratio habenda est. *Resolutio* vero quocunque in casu, nisi aliter epidemica jubeat constitutio, quaerenda est. Levior, et ex suppressa transpiratione ortus, vixque febrilis morbus, leni diopnoico remedio, moderato ambientis atmosphaerae tepore, infuso sanbuci, nec non fomentatione sicca per sacculos aromaticis herbis, et camphorae portione refertos, erysipelatis loco impositos, vel et leni evacuante salino feliciter curatur.

Si febris inflammatoria erysipelas comitatur, atque phlegmonosam hoc ipsum ostendat indolem, imprimis vero si caput obsideatur, cum pulsu pleno, forti, duro, aut a plenitudine oppresso; tunc in repetita venae sectione, posthaec in sanguisugis aut cucurbitulis ad loca ab inflammatione

tione libera, imprimis post aures, vel ad occiput positis, princeps auxilium est. Semper tamen cogitandum erit, monente Ill. *Frankio*, exanthematicam hanc inflammationem, non ut simplicem aliam, aut puriorem, per copiosas adeo venae sectiones tractandam; sed pro felici resolutione atque crisi per cutim ipsam obtinenda, vires vitae conservandas esse.

Si biliosa febris illi conjuncta est, solventia et evacuantia remedia indicantur. Febris aestivae biliosae cum erysipelate conjunctae exemplum *Stollius* habet *a*).

Sub exordium autumni, faber ferrarius ad nosocomium venit, a sex, ut ajebat, diebus, plus aequo calens, et leviculo subinde horrore perstrictus, lassus, nauseabundus, et asitos. Gena sinistra, et hypopium tumuit, doluitque ex erysipelate. Cervix prae dolore immobilis; os amarum; ligua mucosa, flava, villosa.

Solventibus salinis, et oxymelle multo, demum emeto-catharsi usus pituitam, copiosam, amaram vomitione refudit, dejecitque, mox allevatus. Alvo liquidiore, crebrioreque persistente, brevi convaluit.

Ipsi

Ipsi loco dolenti nil remediorum admovimus.

a) *Stoll* Rat. med. Vol. II. p. 153.

Si demum putrida aut maligna febris cum erysipelate jungatur, apparatus antisepticus pro varia febris putridae aut malignae intensione, adhibenda est.

Quasdam nunc ex *Friderico Hoffmanno* erysipelatum observationes adduxisse juvat, ut variam hujus exanthematis indolem in ipsis aegrorum historiis intueamur.

OBSERVATIO I.

Vir triginta annorum, pallidus facie, et vitae sedentariae addictus, gravi terrore ex oborto improviso incendio fuerat perculsus, ac per integrum postea diem sub coelo humido et pluvioso degerat. Die post ingens horror per horae spatium totum coucussit corpus, secutus calor intensus, cum dolore tensivo, ac pungente in inguine, lassitudine, impotentia dextrum pedem movendi, conatu vomendi, et somno inquieto. Tertio post invasionem die rubicundus et ardens tumor dextrum pedem

dem occupavit. Adhibita hinc varia paregorica externa parabiliora et domestica, interne vero nihil, praeter copiosum et frigidum sub calore potum, datum. Cessavit tandem tumor et dolor pedis, sed collectus alius ingens in malleolo tumor, cum ardore, tensione, rubore et pulsatione. Applicata iterum externe varia emplastra et linimenta spirituosa, at incassum. Hinc in suppurationem tendit. Ad quam promovendam, admotum emplastrum emolliens. Successit etiam suppuratio, sed stipata febre et atroci circa partem affectam dolore. Apertus demum abscessus et rite balsamicis mundatus fuit et tractatus, ut omnia bene cedere viderentur. At cum ex improviso ira corriperetur, die post denuo ipsum incessit horror, intensus per totum corpus ardor, ac obortus in genu sinistro infra flexuram tumor, nulla arte discutiendus. Adfuit simul febris, vigilia perpetua et inappetentia, aeger ob tumoris molem ac dolorem nec pedem extendere, nec eo in latere decumbere poterat. Tandem successit suppuratio, sed generatus in femore abscessus, qui ingentem puris copiam ex cavo, quod sibi in musculis supra po-

sitis

sitis fecerat, fudit, aegro interim penitus contabescente. Nihilo minus tamen injectionibus, variis emplastris, externe et interne congruis sanguinem depurantibus adhibitis, aeger sanitati restitutus.

Cacheticis corporibus frequens malum est erysipelas, neque in his tam facile discutitur, ac in sanguineis ac cholericis. Ob profundiorem enim et firmiorem tubulorum obstructionem serique viscositatem, vel in abscessum, vel si incautius constringentibus, frigidis et quae tonum partium destruunt, tractatur, in sphacelum degenerat. Terror autem vehemens ad interiora, cor nempe et pulmones, pellit sanguinem, eodemque inde postea iterum repulso, febris suscitatur, viscidi humores cum impetu minimis tubulis impacti haerent, et inflammationem faciunt, idque fa cile accidit in pedibus, per quos sanguinis circulus jam tum difficillimus. In hoc quidem erysipelas gravioribus stipatum fuit symptomatibus, ob partes, quas occupavit, valde nervosas ac tendinosas, quarum irritatio et molesta affectio, ut semper cum exquisitiori doloris sensu juncta, ita febrem, anxietatem, inquietudinem

alia-

aliaque peperit utique. In his igitur partibus summa semper in usu topicorum cautione opus est, nec nimis calida, nec acriora, nec spirituosa, aut emplastra admovenda, sed potius demulcentia cum diaphoreticis ac nervinis, quo impediatur suppuratio, ex qua ulcera difficulter sanabilia emergunt.

OBSERVATIO II.

Vir 68 annorum, carnosus et habitior, fluxui haemorrhoidali ante obnoxius, jam a biennio eodem carens, ciborum tamen appetens, tempestate humida et calida fecerat iter, et ira commotus largum spiritus vini haustum ingurgitarat. Vesperi domum redux, correptus est horrore cum vomitu, quem excepit intensissimus calor, caput occupans, somnus turbans, mentisque alienationem inducens. Die post insignem in inguine tumorem et ardorem sensit, ac tertio die dolor, rubor et ardor totum femur cum tibia occupavit. Inde remiserunt quidem priora symptomata, pulsus tamen mansit celer, et aeger insuperabili sopore oppressus jacuit. Medicus

accitus interius porrexit tincturam volatilem bezoardicam, naribus admovit spiritum salis ammoniaci, et loco affecto applicuit cataplasma ex aqua florum sambuci, aceto, lithargyrio, myrrha et bolo. Sed sopor discuti renuit, quin adauctus potius, ut plane non excitari possit aeger. Sexto quoque die color pedis rubens in brunum et nigrum conversus, facies cum rubore intumuit, venter a prima statim invasione occlusus, injectas quinque clysteres sine operatione reddidit, die octava accessit difficilis respiratio, et post hanc lethum.

In senibus et plethoricis erysipelacea febris multum alit periculi. In nostro delirium secunda statim die indicavit congestionem sanguinis, et quidem impuri ad caput, quae postea etiam gravis soporis exstitit causa. Medicus vero perperam egit, quod nec primo statim die venam secare, nec alvum subducere jussit, sed potius interne et externe volatilia sanguinem magis exaestuantia adhibuit. Male etiam parti affectae imposuit adstringentia, quibus discussio et exhalatio non modo impedita, sed etiam stasis obfirmata, et sanguis

guis repressus ad caput vergit, praesertim cum intestinorum tunicae etiam essent strictae, et alvus obserata, postea tamen decubuit quoque sanguis ad pectus, et ob difficilem per pulmones cursum, anhelosum spiritum et mortem demum induxit.

OBSERVATIO III.

Foeminam novi 30 annorum, proceram, teneram, ac biliosam, quae per aliquot annos alvum segniorem et crebriorem iram fuerat experta. Hanc initiante autumno, sub aquilonia tempestate prehendit erysipelas in manu sinistra, cum digitorum tumore ac rubore. Applicata topica varia, et inter alia albumen ovi cum alumine conquassatum. Depulsum etiam malum, sed brevi post rediit idem, non vero pristinis cedere voluit remediis. Tumor quidem cum rubore discussus, dolor autem lancinatorius, cum formicationis sensu in digitis eorumque articulis diu perstitit, quin sub victu minus laudabili, crebriorique animi commotione increvit quotidie.

Ruptus tamen tumor ploravit materiam ichorosam acrem, cutem passim erodentem, et ulcus enatum dolens et pruriens, noctu praesertim. Licet etiam varia externa et interna sanguinem depurantia adhiberentur, succrevit tamen alius dolorificus glandulosus in junctura brachii tumor, qui ad digitorum apices radium quasi vibrabat, sive lineam rubicundam, cum intensissimo cruciatu. Sumsit postea malum magis vires, digiti intumuerunt, aperti tandem, excrevit caro copiose spongiosa et ichor foetidus, rodens exstillavit, appetitu et viribus simul prostratis somnoque deficiente. Admoverant chirurgi imperiti, affectae parti valde acria, calida, decoctum ex vino, cum spiritu vini camphorato, balsamo sulphuris et oleo tartari foetido, simulque interius decocta lignorum et pillulas purgantes mercuriales liberali manu dederant, sed frustra. Applicarant postea linimentum ex vino, myrrha, thure, cerussa, herba chelidonii, floribusque sambuci, cui aliquid mercurii praecipitati admixtum, quo acris defluxio intra binas hebdomades substitit. Tumor quoque in junctura litu cum spiritu vini campho-

phorato, cui balsamum sulphuris admixtum, discussum. Sed non ita multo post foemina insignem virium incurrit languorem, plenariam appetitus defectionem, facile animo defecit, et ob id supina in lecto jacuit, crebrius praeterea doloribus in manu, dorso ac pedibus, nec non ventris torminibus afflicta, pulsus quoque justo fuit languidior, cutisque mox frigore, mox volatico aestu perfusa. Ego in consilium vocatus, pulverem ex lapide cancrorum, antimonii diaphoretici una drachma, nitri depurati, arcani duplicati una drachma dimidia, cinnabaris nativae granis 15 in octo doses divisum bis quotidie dedi. Pro potu ordinario suasi decoctum ex radicibus temperantibus, et jussi, ut mane in theiformi infuso sumeret 50 guttas mixturae ex liquoris nostri balsamici uncia dimidia, essentiae croci, liquoris nostri anodyni una drachma. Consilium quoque dedi, ut subinde pilulis nostris uteretur, et affecto brachio inuri permitteret fonticulum. Quibus per 3 hebdomades usurpatis, exspirarunt sensim atrocia pathemata, appetitus rediit, somnus factus

quietior, dolor remisit, et vires cum sanitate restitutae.

Epicrisis.

Gravia varia, et insolita pathemata ex impuritate scorbutica, sive seri acris biliosi redundantia, si in partes extremas tendinosas et nerveas critico quasi motu amandatur, pullulare, uberius certe haec docet historia. Periculosum etiam in ejusmodi casibus topicorum usu insistere, quorum non alia vis, quam ut tonum partis affectae variis modis destruant, materiam a sanguine separatam vel ad interiora pellant, vel ejus discussionem impediant, et stasin firmiorem faciant; ut symptomata non possint non aut magis increscere, aut diutius affligere. Longe tutior et facilior hisce malis medendi ratio est, si internis dyscrasia humorum emendatur, materiae acris affluxus divertitur eademque per alia emunctoria, cutem, urinam, aut alvum, excluditur.

OBSERVATIO IV.

Foemina generosa, triginta aliquot annorum, sanguinea, spongiosa et carnosa, postquam valens antea et menstruam purgationem etiam recte experta, venationi interfuerat ante et post solis occasum, sub coelo nubilo, autumnali, pluvioso, et corpus ob id non leviter perfrigeraverat, brevi post subito correpta est ingenti horrore, quem excepit aestus mordax cum inquietudine et 3 die erysipelas in crure. Brevi hoc depulsum, ne autem rediret, Medicus ortum ejus ex sanguinis plenitudine arcessens, suasit, ut e pedis vena sanguis emitteretur largiter. Sed quum aegra octobre peregrinationem institueret, rediit idem malum, et longius quam prius perstitit. Medicus igitur vulgari jam hypothesi, omnium morborum causam plethoram esse, addictus, eandem hic etiam subesse opinatus est, eaque propter rursus venam secari jussit, largiterque extraxit sanguinem; nihilo tamen serius post binas hebdomadas denuo infestavit erysipelas eundem locum. Licet etiam postea pulveres absorbentes cum nitro, scarificationes

et infusum laxans in usum vocaret, quibus tamen nihil aliud efficit, quam ut binis quibusve mensibus erysipelas recrudesceret, pedis autem tumor et imbecillitas persisteret semper. Demum ego in consilium vocatus, commendavi carolinarum internum et externum usum, cum exacta in vita victuque moderamine, et abstinentia ab acidis, dulcibus, fructibusque horaeis, quibus mire antea aegra delectata; injunxi quoque frequentem usum elixirii nostri balsamici, ex amaris extractis, corticibus citri, et sale tartari cum vino hispanico confectis, sanguinis autem missionem interdixi. Inde erysipelas primum depulsum, subsecuti vero dolores rheumatici, per aliquot hebdomades affligentes, qui tamen repetito in sequenti anno Carolinarum usu, etiam prorsus abacti, et aegra perfectam recuperavit sanitatem.

Perperam omnino huice a Medico ad recidivam arcendam commendata sanguinis missio eaque repetita. In nostra enim natales erysipelatis ex perspiratione suppressa, eaque propter hac magis adhuc sanguinis missione imminuta, non potuit non impurorum succorum copia crescere,

quae per erysipelas singulari naturae vigore expulsa. Recidivae autem frequentiores, quum de sanguinis impuritate testentur, haec vero de viscerum, maximeque hepatis vitio; ego certe acidularum, vel thermarum, ad sanguinem purificandum et viscera expedienda, et elixiriorum balsamicorum, quae visceribus et succis spirituascentiam reddunt, usu, praestantius novi nihil.

OBSERVATIO V.

Novi in Westphalia virum sexagenarium, generosum, macilentum, sanguineo-melancholicum, qui delectatus carnibus et piscibus salitis et infumatis, ab aliquot jam annis, ter vel quater quot annis, in pede sinistro, circa malleolum, passus fuerat erysipelas, quandoque exulceratum. Hic meum petiit adversus hoc malum auxilium. Suasi igitur, ut inter malleolum et genu inureretur fonticulus, qui materiam a malleolo exquisitioris sensus parte ad tibiam traxit immuni ab erysipelate et fonticuli et malleoli regione. Tum consilium dedi, ut loco potus ordinarii acidu-

las Antonianas cum tertia parte vini biberet, a victu duriori abstineret, et mane juscula cum radice cichorii, apii et scorzonerae sorbillaret et pedem debilem et tumidum fascia spiritu vini camphorato madida ligaret arctius. His aliquandiu usurpatis, liber postea diu mansit ab erysipelatis incursu.

Westphalis ob victum durum et crassum semper sanguis spissus, lentescens, qui e vena missus eandem ac apud nos pleuriticarum exhibet faciem, cum cuticula glutinosa. Hinc etiam ipsis admodum familiares inflammationes, maximeque erysipelas scorbuticum. Adversus quod vero optime sese muniunt tempestiva sanguinis missione, potu ipsis frequentissimo seri lactis, et vere usu infusi laxantis et resolventis ex vino. Pedes autem, quia lentior in illis sanguinis ascensus, perspiratio quoque languidior, ob id maxime oedematosis et erysipelaceis tumoribus sunt obnoxii.

OBSERVATIO VI.

Professor celeberrimus, 50 aliquot annorum, purpura scorbutica crebrius afflictus,

ctus, post corporis intensam refrigerationem, corripiebatur subito languore virium, inquietudine, somni appetitusque defectu, horripilatione, aestu, cui juncta quaedam mentis turbatio. Durabant haec per tres fere dies, quibus elapsis, nocte antecedenti sensit intolerandum plane ardorem in praecordiali regione, ad dorsum usque excurrentem, mane autem inspecto loco dolente, insolitum comparuit exanthema, rubicunda nempe area, ex praecordiis ad dorsum cinguli instar extensa, cui insidebant confertim pustulae partim albae, partim rubrae nigrescentes. Inde quidem symptomata remiserunt, excepto exquisito ardente dolore, qui tantus erat, ut nec somnum capere, nec locum affectum contingere posset. Medici, quorum consilio utebatur, quid hoc rei, nesciebant, et purpurae peculiare genus aut scorbuticum quoddam exanthema esse volebant: ego vero illico cognovi pejorem erysipelatis speciem et interna diaphoretica temperata, et externe in fine oleum ovorum adhibui, quibus aliquandiu usurpatis, intra 14 dies, dolor conquievit, pustulae aruerunt, cuticula aspera facta, fissa et desquamata.

Est hic affectus ex rarioribus, paucis visus, plurimis incognitus. Solus fere ex veteribus est Plinius, qui ejusdem sub nomine Zoster meminit Quam periculosus autem sit, binis exemplis confirmat J. Langius Epist. p. 110. uno Marchionis Georgii in Onelspachio, qui eodem ex ulcere crucis a chirurgo intempestive consolidato, interiit, altero Comitis Palatini Orthenrici, qui a lumbis ad genua usque hoc exanthemate circumdatus, febre simul ad delirium usque exaestuans, incisa tamen utriusque pedis vena, adhibitisque, quae febrem restinxerunt, a morte adhuc vindicatus. Idem etiam cum hoc videtur esse affectus, quem Tulpius lib. III. cap. 44. observ. medicinal. sub nomine excedentis praecordiorum herpetis describit in viro pleni habitus et calidi jecinoris, qui vehementer circa praecordia doluit, cum acri pruritu, insigni dolore et frequentibus pustularum conglomeratarum circulis, primum rubris, mox albicantibus et comparente in qualibet earum crusta nigra, qua convenienti litu separata, quolibet degeneravit in humidum ulcusculum, cum acri dolore, sudore effuso et interdum tam impe-

pe-

petuoso virulentae materiae raptu ad interiora, ut animus non secus aliquoties deficeret, ac si ipsum occupasset contagiosa aliqua pestilentia.

Singularem erysipelatis speciem *Zoster* constituit, vel *Zona*, aut *Circinus*, aut *Ignis S. Antonii*. De eo, ut *Burserius* a) monet, ita obscure, et breviter veteres verba fecere, ut disceptari adhuc queat, num iis reapse innotuerit, Ill. *Frankius* b) rariorem hunc morbum non in pluribus, quam quatuor subjectis conspexit. Praecedebant in puellae brachio sinistro dolores quasi rheumatici, ac per plures jam dies urgebant. Successit nunc ad costas sinistri lateris sub scapula fortissimus, sine alio ad cutem signo, dolor. Post aliquot dies rubor coccineus, vix palmae spatio diffusus, ardentissimus, atque mox vesiculae vix pisum aequantes, variolis fere similes, copiosissimae, profunde insidentes, confertae, hinc inde confluentes, fere recemosae, ac flavescente liquore repletae prorumpebant. Proserpebat haec eruptio, atque oblique per costas sub mamma sinistra ad scrobiculum usque, eadem fere, qua diximus latitudine, descendebant.

bant. Quo vero tempore *Zoster* hic cum pulsu frequenti, celeri, duro, et acutissimo dolore extendebatur, phlyctenae adultiores inter scapulam livida inter se, tenuique crusta cohaerentes, exsiccabantur, ac in furfures decidebant. Eodem modo pustulosus hic, et nonnisi dimidium truncum circumscribens arcus, post paucos dies, et quin ad lectum coacta fuerit aegrota, post evacuantia quaedam remedia, disparuit in totum. Similis prorsus in duobus viris rerum decursus a nobis observatus est; nisi quod in uno ex istis, disquamatione jam in totum absoluta, et dispulso protinus rubore, per multos adhuc dies acuti ad eundem locum dolores, vesicante demum emplastro fugandi continuarent. In quarto casu validissimi, circa ilei ossis regionem dolores virum per plures jam dies, atque cum febre excruciaverant. Tunc vero ad palmae amplitudinem innumerabiles mox, pisoque minores, aut vero profundius insidentes rubentes ad basin, in apice flaventes phlyctenae, cum splendente roseoque pellis rubore insimul prodibant, ac internus pedum dolor in superficialem magis et ardentem conver-

sus

sus est. Post tres, quatuorve dies, epidermide desquamari incipiente, dolor omnis in crure conticuit. In alio casu tam latam aream non occupasse, sed minorem floreni simplicis, aut duplicati, nec febrim vehementem conjunctam habuisse legimus. interdum vero et dimidiam calvariae, faciei partem, in aliis collum, abdomen, crura, brachia, varios in sensus, hic circinus ambit, atque, raro satis exemplo, et *chronicam* habuisse naturam conspectus est; exsiccatis vero pustulis, aliae subnascebantur magis extensae: quae aegrotantes per menses doloribus ac insomniis cruciabant, saepiusque sanato jam exanthemate, tormenta eodem in loco continuabant. Nec tamen lethalitas morbi, de qua Veteres, si *totum hominem* afficeret, pluribus recentiorum exemplis confirmata est.

Ad erysipelas certe hic morbus spectat, a communi diversus in eo, quod dolores in parte aut praecedant, aut sequentur diuturni satis; quod phlyctenis copiosissimis, ac fere regularibus, profundius ad cutem haerentibus, nec tam altis, ubique pars affecta obtegatur, nee tumor fere, nec major exanthematis extensio facile

le hic occurat. Vesiculas in communi erysipelate *tardius* semper erumpere; hos ab experientia confirmari non vidimus *b*).

a) *Burserius* Institut. medic. pract. Vol. II. p. 43.
b) Ill. *Frank* Epitome Vol. III. p. 287.

Nunc de externis remediis, quae in erysipelate adhiberi debent, quaedam dicenda supersunt. In simplici malo manifestum ex sicco ac paulisper aromatico subsidium est; in erysipelate pustuloso, vel cum acrioris seri transudatione conjuncto, absorbentes hoc ipsum pulveres irritationem omnino diminuunt: at licet crustam facile inducant, et transpirationem impedire videantur, experientia tamen tum dicto in casu, tum eo, quo ab externis causis erysipelas provenit, cum fructu pulveres ex lycopodio, farina tritici, foenu graeci, adhiberi posse commonstrat. Nec plumbum, quod pulveribus ad erysipelas subinde commiscetur, his in casibus tam funestum est, ut non in phlegmonoso adeo erysipelate cataplasmata ex mica panis, et *aqua vegeto-minerali* cum evidenti fructu adhibeatur. Tutius interim a plumbeis et adstringentibus abstinemus remediis, et in

ca-

casu fortioris phlogosis, decoctum emolliens tum huic ipsi, tum crustis durioribus pustularum admovemus, nec facile nos induci sinemus, ut cum recentiorum quibusdam erysipelati, nisi ad genitalia, ex causa venerea, vel ipsam frigidam applicemus. In oedematoso, imprimis scroti, erysipelate, in quo acris non raro materies cutim erodit, promptamque gangraenam minatur, egregium vidimus subtilioris ex cortice peruviano pulveris, pauxillo myrrhae ac camphorae juncti, cutique inspersi usum. In pustuloso erysipelate, majores vesicae acriori, et cutem facile exedente sero per incisionem liberandae sunt; atque si hoc ipsum, licet spongia teneriori frequenter abstersum, irritationem continuet: tunc utique praedicti pulveres inspergi, — crusta vero, quae exhinc, vel ex coagulata mox lympha super pustulas ad artus induratur, emollientibus humectari, vel charta, cui butyrum recens illinitum est, involvi potest. Qua methodo durissimas ac fere corneas crustas, vel unius noctis spatio cecidisse, ac erosionem doloremque omnem dissipari conspeximus *a*).

Sca-

Scarificationes in parte erysipelate correpta instituere, nos quidem, ob gangraenae metum, instituere ausi non sumus: atque in juguli erysipelate per incisiones tractato, illam successisse compertum habemus.

Si gangraena cum febre nervosa incedens in erysipelate observari contingat, tunc, praeter internum corticis peruviani usum, et fomentationes ex eodem cortice, vix tamen ad faciem instituenda — omnia illa, quae ad gangraenam, tum hanc, tum aliam commendantur, remedia mox adhibenda sunt.

In habituali erysipelate, ad causam latentem respiciatur, atque haec, si fieri queat, tollatur oportet. Interdum hic viscerum, hepatis imprimis obstructio subest: quae propria huic malo remedia, resolventia, succos plantarum lactescentium ac amararum, fructuum horreorum recentes, ac alia, sibi expetit. Similia de menstruae, ac haemorrhoidalis excretionis suppressione dicenda sunt, quae variam, et ex aliis regulis petendam sibi opem explorat. Si quam in sanguine acrimoniam suspicari liceat; tunc aut specifica eidem re-

media, vel generalia, imprimis ea, quae transpirationis ac urinae secretionem promoveant — fonticuli quoque, aut setacea opponenda sunt. Thermarum saepe, imprimis sulphurearum usus hic prodest.

Quodsi vero ex cutis laxitate, vel sensibilitate nimia erysipelas pendere videatur; tunc assuefacto sensimque aëri puriori ac liberiori corpore, roborantibus magis tum internis, tum externis, frictionibus, balneis frigidis, maritimis, martialibus, cortice peruviano, aegrotantibus succurrendum est.

Si ad interiora repercussum erysipelas periculosum in illis morbum excitaverit, pro varia hujus retrocessionis caussa, et pro varia novae aegritudinis indole, methodus medendi diversa adhibenda est. — In revocando autem ad cutem exanthemate opera omnis ponenda est. Hinc nunc venae sectio repetita, nunc excitantia potius remedia, nunc diopnoica, antimonialia, balnea tepida; nunc anodina et sedantia remedia — in aliis emeticum, aut alvum laxantia — exterius vero, ac ad ipsam, quam erysipelas deseruit, partem, aut si locus illud recuset, ad ejusdem vicinias

posita vesicantia aut sinapsismi, vel cantharidum tinctura cuti infricanda, cucurbitulae siccae super cutem hinc inde trahendae, indicantur. Si periculum in mora esse censentur, tunc scarificatio partis, cui cantharides applicandae sunt, aut caesio cutis urticis recentibus instituta, aut fervida demum aqua, panno laneo suscepta ac pro momento super imposita, conduxerit.

a) Ill. *Frank* Epitome. Tom. III. p. 57.

APHTHAE.

Hippocratis et *Galeni* temporibus, Aphtharum nomen in genere proprium fuit ulcusculis inaequalibus, plerumque solitariis, toto ambitu rubris, in medio macula alba flavescente notatis, variis corporis locis cum insigni dolore subinde emergentibus *a*).

Deinde Aphthas proprie dixerunt ulcuscula, in ore et faucibus solummodo efflorescentia, recens natorum et infantum tenerae aetatis quam maxime infesta.

Celsus serpentia oris ulcera vertit Aphtharum graecum nomen *b*).

Jullius Pollux Aphthas vocat exulcerationes et abscessus, superficietenus linguam

vel

vel parysthmia, vel uvulam, vel guttur dealbantes, infantibus maxime familiares *c*).

Eadem fere descriptio legitur apud *Aetium d*), *Aretaeum e*), *Forestum f*), *Paulum Aeginetam g*), *Amatum Lusitanum h*), qui primus eas *Lactumina* vel *Lactucimina* nominavit, *Sennertum i*), *Ettmüllerum k*), *Wedelium l*), *Junkerum* et alios.

Boerhaavius, quem recentiores fere omnes secuti sunt, Aphthas dixit parva, rotunda, superficiaria ulcuscula, os internum occupantia (*m*).

a) *Hippocrat.* Aphorism. XXIV. Sect. 3 de morb. L. II. c. 18. Galen Commentar. III. L. 13. Epidem. III. Gruner Bibliothec T. II. pag 419.

b) De Medicina L. II. c. 2

c) Onomastic. L. IV. c. 24.

d) Tetrabibl. II. Serm. I. 39.

e) De caussis & signis morbor. acutor. L. I. c. 9.

f) Schol. Observat. L. XIV. c. 21.

g) De re Medic. L. I. c. 10.

h) Curat. Medicinal. Cent. V. pag 326.

i) Prax. Medic. L. II. c. 18. Tractat. de curat. infan. c. 13. pag. 2.

k) Prax. Med. Part. II. pag. 216. 603.

l) De Morb. infant. pag. 18 Exercitat. patholog. therap. pag. 118. River. Prax. Med. L. VI. c. V. p. 288.

m) Aphorism. §. 979.

Variae certe sunt Autorum hactenus a me recensitorum definitiones, ut quem potissimum sequi velimus, haereamus utique. Ponderatis enim rite opinionibus aphthae neque ulcuscula, neque exulcerationes, neque etiam puſtulae generatim vocari queunt. Pustularum nimirum conditio exigit, ut in apice suppurentur, vel in pus abeant, quod vero rarius fieri solet; et similiter ulcuscula dici non possunt, quia verum pus in ipsis non reperiatur, sed serosa potius colluvie scateant *a*)

Sunt vero aphthae *tumores* albicantes, aut ad cineritium colorem vergentes, superficiarii, rotundi, diametri exiguae, ut milii aut cannabis semen magnitudine vix excedant, seroso quodam liquore referti, in squamas denique furfuraceas abeuntes, acriter dolentes.

Neque tamen heic loci negare animus est, aphtharum genus, ulcerosarum nomine insigniendum, plane non exiſtere. Verum hae vulgares adeo non sunt, et meliori jure malignis, sive symptomaticis annumerantur.

Solent plerumque aphthae per omnem superficiem internam oris, labiorum, gin-

gingivarum, linguae & palati prodire, ubi cryptulae muscosae adsunt numerosissimae, quae humorem quendam tenuem lubricandis his partibus eructant. Atque tum fieri videntur aphthae, dum ille humor solito lentior redditus, per ultimum horum emissariorum finem propelli nequit, sed ibi haeret, et extremum talis vasculi obturat; interim a tergo urgentis liquidi vi elevatur ultra superficiem extremum canalis obstructi, atque sic *tumorem* producit, quem *Aphtham* vocamus *b*).

Non vero unice has partes occupat, sed in oesophago, ventriculo, intestinisque etiam sedem figunt.

Videmus similes crustas per alvum prodire atque excerni, et quidem tanta copia, ut nullo modo crustis talibus deglutitis id tribui possit, quae ex faucibus et oesophago deciderant. *Kettelaer* aphthas tanta adeo copia per aliquot dies ano et ore rejectas vidit, ut pelves aliquot illas vix caperent *c*). Inventa sunt etiam in sectionibus cadaverum aphtharum vestigia, intestinorum lateribus adhaerentium, ut nullo modo dubium possit esse, aphthas quandoque per totum intestinorum tractum dividi.

a) Slevogt Diss. de Aphthis Jenae 1706. Diez Diss. de Aphthis. Erfordiae 1771.

b) Van Swieten Comment. in Boerh. Aphor. Tom. III. pag. 189.

c) Commentat. de Aphthis pag. 15.

Magnam esse aphtharum cum exanthemate miliari affinitatem *Stollius* adnotavit a). Febres miliares, aut, cum exiguo faucium tumore, et fauces aphthis conspergere saepe solebant. Aphthae hae primo pustulas referebant miliares, iis simillimas, quae externam corporis superficiem obsidebant. At ubi hae in furfures abierunt, et squamulae illae ulcerari ceperunt, ut totidem discreta, et albicantia ulcuscula exhiberent, quae rarius in majus ulcus confluxerunt.

Hinc duplicem formam aphtharum vidimus, *pustulosam* primo, dein *ulcerosam*, at neminem, quem aphthae gravius muletarint.

Fauces dolentes initio hordei decocto, cui salis ammoniaci quid, et mel rosarum miscebatur, elui curabamus, qua re multum pituitae fuit cum emolumento prolicitum; ubi pustula in ulcuscula subsederant, salviae infuso cum roob dianucum, et spi-

ritu

ritu salis accido malum cohibuimus, sanavimus.

Erant, qui eadem prorsus ratione febricitabant, qua ii, queis corpus pustulis miliaribus effloruit, angina aeque et aphthis affecti, at absque exanthemate per reliquum corpus miliari.

Materiem aphthosam et miliarem eandem esse judicabam; et quod faucium miliaria facile ulcerentur, id loco eorundem natali debere, calido, humidoque.

Nemo fuit, cui miliaria primum in nosocomium eruperint, fomite, arbitror, miliari evacuantibus subdocto.

Puerperae noſtrae, utut prae aliis febre populari ferirentur, quam miliare exanthema comitari aliunde novimus, ab hisce inflorescentiis omnes immunes perstiterunt, cum morbi initiis a nobis fuerit sollicite cautum, et febris suis in incunnabulis, vacuato puerperarum abdomine, repente, ac quasi rescissa cervice, enecta.

Ex his patet, aphthas frequentissime febri pituitosae jungi. Sed etiam a colluvie primarum viarum saepe originem habet. Aphthas in adultis impurae ventriculi illuvies produxit, easque nullibi offen-

di, absque stomachi cruditate. Emeto catharsis, et dein gargarismata subadſtringentia, ne oris ulcuscula, certe non critica, in laxo, et putredinem facillime concipiente faucium corpore latius serpant, requirebantur *b*).

a) *Stoll* Rat. med. Pars II. p. 148.
b) Idem Libr. citat. p. 188.

Quae in adultis, aut in tenera etiam aetate, sub febribus diversis, imprimis gaſtricis, pituitosis, aut gaſtrico nervosis, sub dysenteria, diarrhoea chronica, prorumpunt aphthae; hae tempore incerto, ac sub vario principalis morbi apparatu, citius tardiusve in conspectum prodeunt. Saepius, priusquam hoc fiat, singularem aegrotus in epigastrio oppressionem, aut rei in oesophago haerentis sensationem accusat, singultum experitur frequentem, ac tandem de faucium dolore, ac impedito ciborum potusque transitu conquestus, in his ipsis, depressa lingua, ascendentem ex profunda pharynge, aphtharum cohortem oſtendit; ac imae primum fauces, linguae radix, mox velum pendulum, uvula, palati fornix, gingivae, ac totum

sic

sic oris antrum, crusta alba, densa, splendente, subjectis partibus nunc laxe, nunc tenaciter adhaerente obducuntur. Alias ipso in oris cavo principium morbi manifestatur, ac aphthae primum discretae, sensim sensimque confluere, ad fauces dilatari, ac docentibus id partium sensu molesto, ardore, disphagia, dein nausea, epigastrii oppressione, singultu, per oesophagum ad ventriculum *descendere* videntur. Insignem non modo aphtharum copiam quotidie per alvum excretam; sed et aphthas a morte his partibus, intestinis tenaciter adhaerentes, observarunt alii, et praesens in multis aptharum ad anum numerus, ac summa intestinorum ex iisdem deciduis sensibilitas, facilisque a levi purgante hypercatharsis, obsessam aphtis, et excoriatam horum viscerum superficiem testantur abunde. Poſt breve interdum tempus, oris hae puſtulae jam sedem ſuam, ac illaesam, ut videtur, nitidamque linguae, orisque substantiam, vel sponte, vel linteo abstersae, sub copiosa in multis salivatione relinquunt; sed paucis ab horis, bis terve in dies renatas, cum aliis has ipsas conspeximus; ac per multas sic dies deci-

 dunt,

dunt, redeuntque, vel sine his partibus adhaerent: donec aphtharum colore ex albo in cinereum, obscurum, vel et atrum mutato, ac siccissima nigraque oris antrum obtegente crusta, sub voce delata, tussi sicca, respiratione difficili, ac brevi, sub continuo fere, ac suffocationem minitante singultu, interdum sub tenacissimae pituitae, aut bilis pomaceae vomitu, sub abdominis meteorismo, ac foetidissima diarrhaea, facie pallida, cadaverica, lentam properetur ad mortem; ac oris, faucium, oesophagi, ventriculi, intestinorumque gangrena, desideratum aegrotis vitae miserabilis imponat terminum *a*).

a) Ill. *Frank* Epitome, Vol. III. p. 276.

Varii nunc effectus intelliguntur, si partium ab aphthis obsessarum sensibilitatem, febris, quae aphthas comites habent, indolem, et ipsam aphtharum copiam, consideramus: salivatio nempe, deglutitio difficilis, singultus, colica, diarrhaea, dysenteria, lienteria etc.

Ex iisdem fontibus febrilium aphtharum prognosis petenda est; et cum raro, si unquam, hae crisim efforment: quae in

fe-

febribus aphthae comparent, majora sane istarum pericula significant.

Sub quavis interim aphtharum specie, quo partibus profundius inhaerent — quo plures simul ex istis propullulant, — quo propius sibi cohaerent, ac magis imas obtegere fauces, et ex oesophago ad ventriculum, intestina descendere videntur; — quo tenacius palato adhaerent; quo saepius revertuntur, et quo major ab illis ardor, dolor, aut tussis, difficultas spirandi, sugendi, deglutiendi occurrit, — quo siccior oris sub aphthis est conditio; — color istarum, quo magis ab albo recedit, — quo major oris excoriatio ac foetor insequitur — quo fortior illas diarrhaea circumdat, corporisque vires quo magis labescere videntur; eo majora hoc ab exanthemate aegrotantibus pericula instant, eoque certior aegrotantium per tabem lentam, per convulsiones, aut per ipsam gangraenam praevidetur interitus *a*).

a) Ill. *Frank* Lib. c. p. 280.

Cura autem aphtarum in genere illa optima censenda est, quo febri principi occurrimus. Id autem fere semper et ubique

que convenit potu multo, diluente, demulcente corpus sensim implere, et febrim ad justum moderamen reducere. Cum aphtarum caussa frequentissime a sordibus primas vias obsidentibus, ortum trahat, evacuantia remedia in principio morbi adhibita, magnam utilitatem praestant, quae serius porrecta inutilia, imo nociva sunt.

Topica aphtharum curandarum *indicatio*, eo redit, ut ab *irritantibus* remediis in initio abstineamus, et *emollientissimis* tantum in istendo, aphtharum secessum promoveamus. Hinc emulsio arabica, saccharo, aut syropo altheae edoleorata; — si aphtae per oesophagum cum interioribus communicare, ac ventriculum et intestina obsidere videantur, tunc dauci carotae, aut rapae sativae succus, aut radicis Salep, seminum lini contusorum decocta aquosa cum melle remixta conducunt. Si tormina, diarrhaea, vel convulsio infantem divexent, tunc abdominis fomentatio, et emollientissima remedia ori ingerenda indicantur.

Inter externa remedia, in hoc morbo adhiberi solita, praecipuum locum habent mel despumatum, aut cum rosis, ut solent,

lent, decoctum; vel et syrupus mororum, cerasorum, cum acido vitrioli, ad gratum saporem remixta, atque ter, quaterve in die aphtharum superficiei illita, egregie conducunt. Vitriolum album ad grana decem, in aquae tepidae unciis octo solutum, si aphthae aliquoties in die cum eodem abluantur, similia praestabit. Confirmatae in aphthis virtutis est, *Borax* cum melle remixtus: hujus igitur ad scrupulos fere duos cum uncia mellis remixti, pluries in die infantis linguae superimponitur portio; aut idem remedium in aqua solutum superaddito melle, oris cavo saepius illinitur. Parva quoque ejusdem remedii dosis ad stomachum hinc inde deducta, utilitatem habebit.

A quovis interim, fauces aut stomachum irritante remedio, sub prima aphtharum efflorescentia, si dolor aut rubor has ipsas circumdet, abstineatur oportet. Similia de secundo morbi stadio monenda sunt; sub quo scilicet, ob sensilissimam nudae fere cutis naturam, tum novam in oris cavo phlogosin, tum indomabilem ad intestina hypercatharsin irritantia excitarent. Ad mucilaginem hinc arabicam, radicis sa-

lep, seminum cydoniorum, aqua tepida solutam, ac melle edulcoratam, aut si vomitibus, vel diarrhaea jam urgeant, ad emulsionem arabicam cum opio, seu haustu narcotico combinatam recurrimus solerter.

Sed chronicae etiam aphtharum species observatae sunt. Ulcuscula enim subinde parva, absque febre, maculam albam referentia, in ore labiisque, atque partibus etiam genitalibus, iisque simul tumentibus, nonnunquam oriuntur. Macula haec albescens a mucoso humore ex ulcusculis profluente originem habet. Rubent in circuitu, dolent, pruriuntque valde. Subinde subito in putredinem transeunt, et omnes circumjacentes devastant. Hoc malum *epidemice* saeviisse, *Switenius* vidit *a*). Genae, labia, gingivae, cum intolerabili plane foetore, exaesa sunt. Initium hic morbus duxit a levi quadam in alterutra gena excoriatione, quae post paucas horas albescente crusta obducebatur, mox dein nigrescens, et putrescens.

Alia aphtharum chronicarum species ab *Hillary* sub nomine *aphthoides chronicae* describitur. Parvae nempe vesiculae, lympha

pha

pha pellucida, acri lympha repletae, magnitudine aciculae capitellum referrentes, plures, paucioresve os totum internum, ultra labia quandoque, occupantes. Plerumque absque praegressa manifesta causa, post ardoris sensum in regione, scrobiculi, sensim auctum, et per oesophagum ad os usque ascendentem, absque febre, et singulari aliquo dolore oriuntur. Cuticula vesiculam occludens brevi discedit; lingua rubescit, et leviter inflammatur, crudae carni haud dissimilis. Per vices etiam ad ventriculum et intestina, et ad os internum migrant. Aegri pallescunt, sensimque tabescunt. Morbus hic in Insula Barbados, reliquisque Americae insulis *endemicus* observatur. Lente incedit; adultiores praeprimis, rarius juvenes, infantes nunquam adgreditur; per annos durat, brevibus intervallis; sed neglectus, etiam anno citius, hominem necat. Pulsus parvus, debilisque; et de frigoris plerumque sensu aegri conqueruntur. Nunquam hae vesiculae in ulcuscula, neque in gangraenam abeunt; aphthis etiam ordinariis minores esse solent. In duobus tantum casibus in partibus genitalibus apparuerunt.

a)

a) *Van Swieten* Commentar. Tom. I II. p. 9. 197.

b) *Hillary* Ueber die Veränderung der Luft, und die damit verbundenen epidemischen Krankheiten auf der Insel *Barbados* u. s. w. Aus dem Englischen von I. C. G. *Ackermann*. Leipz. 1776. p. 328.

FEBRES SPORADICAE ET SINGULARES.

Contingit non raro, ut febris quaedam cardinalis, quae alias annuas vel stationarias periodos observat, subinde tamen tempore non suo compareat, atque ideo, cum in uno tantum alterove homine vim suam exserat, *febris sporadica* vocatur. Ita tempore vel maxime bilioso, aestate scilicet, imo biliosa febre diutius jamjam stationem obtinente, a praegressa causa inflammante validissima, et homine praeprimis ad hoc morbi genus disposito, ingens pulmonum inflammatio originem trahere poterit. Haec tamen sporadica febrium indoles accurato aegri examine instituto, facile a medico cognoscitur.

Sed aliae quoque febres dantur, omnium horarum, nullisque certis temporibus, quae, cum ab inquilina, certis hominibus propria causa proficiscantur, *singula-*

larium febrium nomen obtinuerunt. Inter quas *febris lactea*, *febris puerperarum*, *febris vulneraria* etc. praecipuum locum obtinent.

Atque hae ipsae febres, quamvis a singulari causa excitatae fuerint, in homines tamen inciderunt, communi naturae legi, loci scilicet, in quo habitant, et tempestatum imperio subjectos. Inde extemporaneae hae febriculae mox in *Epidemici* castra transeunt, et aut pari passu cum epidemica febre ambulant, aut in unam omnino febrim coalescunt. Ex quo facile concludimus, eandem febrem, e. g *lacteam*, aliam curandi methodum requirere, si febris conjuncta inflammatoriam, aliam, si biliosae indolis sit.

Hinc in *febrium singularium* sanatione duo maxime observanda sunt: 1mo. ad quodnam febrium cardinalium genus haec singularis febris potissimum pertineat, an e. g. de inflammatoria, aut biliosa indole magis participet; deinde 2do. ad epidemicae regnantis constitutionis genium respicere oportet, quaenam scilicet hujus ipsius epidemiae indoles sit, ut recta inde agendorum ratio innotescat.

Febris lactea.

Perpetua oeconomiae animalis lege sancitum est, ut finito partus negotio, humor ille lacteus, infantis nutritioni destinatus, largius ad mammas puerperae confluat; quod sane, ut in reliquis etiam copiosius paulo in certa parte adauctis secretionibus contingere solet, haud sine leviori quodam febris insultu peragitur. Id non tantum in puerperis observatur; sed foeminae etiam abortum passae, fortiorem vel debiliorem *horripilationem* percipiunt, quo propius a naturali parturitionis tempore vel quo remotiores absunt, vel etiam sensibiliores sunt. Lanquent aliquantisper, calor naturalis augetur, mammae subito tumescunt, iterum concidunt, et flavescunt. Non aliud sane est iste horror, quam febris lactea. Notabilior est, quo propior foetus a partu est, ob veri lactis in sanguine et mammis praesentiam. Minor autem, vel plane non, aut ne vix quidem percipitur, quo imperfectior embryo est, et nonnisi tenue serum in mammis praeparatur. (Nec deficit tamen lac, ubi mola sub finem tertii mensis fuerat exclusa.

La-

Lactis vero secretionem praeibant dolores imminentes mammarum, diem unum alterumque perdurantes, emollientibus anodynisque sopiendi). Febris nimirum lactea tum oritur, quando commercium uterum inter et placentam solutum est, sanguisque lege perpetua naturae, magis versus mammas dirigitur. Eadem prorsus fiunt, ubi foetus in utero moritur. Sanguis ex utero ad foetus nutritionem, dum adhuc viveret, allatus, haec vasa non amplius subit, cum, quod utplurimum fit, solutae jam sunt secundinae, vel instar emortuae carnis utero laxius adhaerent. Praedicere abortum poteris, ubi haec contingunt, et ejusmodi femellae sensum frigoris et ponderis, quemcunque situm corporis aemulantis, absque alia data occasione persentiscunt. Iisdem quoque lactis metastasibus sunt expositae, ac si perfectum foetum pepererint. Abortum passae caveant, ni vellent in idem infortunium devolvi, ante elapsos sex ad minimum menses denuo impraegnari *a*).

a) Cel. Lentin. *Memorabilia circa aërem, vitae genus, sanitatem, et morbos Claustraliensium annorum* 1774—77. *Gotting.* 1779.

Haec febris brevis aevi est. Dummodo enim lochia se recte habent, vix ultra triduum perdurat, quin circa illud spatium sudore copioso sponte oborto sedari solet. Haec tamen intemperies a lactis proventu excitata, nonnihil intenditur, et diutius immoratur, si quando lac mammas ingressum non emulgetur, ac illinc denuo repellitur; etenim discussu ejus, non secus ac adventu, perturbatio in toto corpore, cum siti et aestu contingere assolet; quod etiam certius evenit, si topicis revellentibus illud vehementer abigi contigerit: ex uberibus autem eorumdem ope propulsum, aut sponte abscedens, cum lochiis sub humoris albicantis forma excernitur, atque sudor, aut plenior diaphoresis morbi reliquias exterminat. Quod si hujusmodi intemperie propter lactis commotionem inductam, lochia sistantur, vel errata in victu admittantur, aut causa evidens alia quaepiam accesserit, ut cruoris effervescentia intendatur, non raro febris lactea, pejora statim symptomata adsciscens, in putridam, seu potius malignam, migrat *a*).

a) *Willisius* Op. omnia de febribus p. 76.

At subinde haec febris intensior est, et diutius protrahitur, quod ex duplici causa solet contingere: ob nimiam scilicet lactis ad mammas ruentis copiam, et ob varia in ipsis secernente lactis apparatu vitia; in utroque enim casu, lac, quod effluere haud potest, retro urget, et varias in foeminino corpore turbas excitat.

Haec autem *protracta* febris *lactea* ad inflammatoriae febris indolem maxime accedit, a plethora utpote lactea, exorta, nisi mala curandi methodo, aut *epidemici* poteſtate in transversum agatur.

Ea febris typum remittentis plerumque servat, excerbationibus quotidianis, in sudores protractiores desinentibus.

Sed non unus est modus, quo febris lactea terminatur. De sudore dictum est. Tutior, sed diuturnior est, ubi per ubera effluit; deinde sub forma alborum lochiorum, per urinas in aliis; per alvum in nonnullis; per sudores, vel apostemata in quibusdam a).

a) *Lentin* Lib. c. A. p. 101.

Frequenter admodum depositiones hae lacteae oriuntur. Multa lis inter medicos

orta est, an tales abscessus lactei unquam vere exstiterint. Etsi enim negari non possit, lymphae phlogisticae transudationem pro lacte deposito imposuisse; non tamen omnino negandum esse alii, iique praeclari observatores existimant, hunc quoque humorem, uti alios humores, si forte in sanguinis massam regurgitent, in alias partes incumbere, atque abscessuum forma apparere. Lactearum harum metastasium brevem historiam Cl. *Sachteleben* a) recensuit.

a) Cl. *Starke* Archiv. Band. 2. St. 2. p. 1.

Sed non febrilis tantum morborum cohors ab ejusmodi lactis metastasibus, sed etiam chronica non raro mala oriuntur. Inter haec frequenter admodum maniae quoddam genus observatur. Haec autem symptomata 10. 12. 20. die ab enixo partu, serius etiam comparent *a*).

a) *Sauvages* Nosolog. method. Edit. ult. T. II. p. 266.
Quelmalz de delirio ex lactatu. 1734.
Jaeger de metastasi lactea. Tubing. 1770.

Cum febris haec lactea, uti dictum est, ad indolem febris inflammatoriae accedat, methodus quoque curandi morbum inde

inde patet. Cura scilicet antiphlogistica plus minusve generosa tenenda est.

Si enim febris admodum mitis est, vix aliud remediorum genus, praeter quietem corporis animique, potumque multum diluentem requiritur. Haec enim febris naturae omnino committitur, et quamdiu lochia se recte habent, sine ope medica utplurimum sat feliciter procedit; quippe post effervescentiam sanguinis per tres aut quatuor dies peractam, aut sudor copiosior, aut transpiratio liberior hunc affectum solvit a).

a) *Willisii* Opp. p. 76.

Intensiori autem febris gradu, major utique remediorum apparatio requiritur: Haec autem methodus ad sequentia reducitur.

I. Ut ab omni irritatione, seu diaetae, seu remediorum, sollicite caveamus.

II. De plethora minuenda omnino cogitandum est, quae non solum diaeta strictiori, et diaeta antifebrili, sed etiam variis evacuationibus, in eum finem promotis, obtinetur.

Harum evacuationum moderamen hisce verbis *St llius* exponit *a*).

Incommoda a lacte ad mammas delata vix alia unquam vidimus, cum puerperae proles suas ipsaemet lactarint; una tamen, alterave vice contigit, prole mortua et febrim, et incipientem mammarum inflammationem ob lactis redundantiam observare. Non permisi violenta suctione dolentes mammas tentare, sed applicato molliente fotu turgens mamma lac sponte dimisit, cum pleno doloris levamine. Interea blando pharmaco alvum sollicitabam, duplici cum emolumento, cum et febri epidemicae iretur obviam, et abundantiae lactis.

Magno periculo haud vacare eam methodum semper existimavi, quae lactis aggesti copiam ex mammis denuo intra humorum circulantium alveum receptam, cum iisque per corpus circumductam, alternatamque vi vitae, ad corporis superficiem remediis sudoriferis ablegat. Quid enim, si forte strictius quoddam alicubi viscus sit, quod apellentem humorem lacteum meare ulterius haud sinat, eumque angustis canalibus impactum retineat?

Quid,

Quid, si e contrario pars quaedam praevie laxior promovendae molae lacteae impar sit, ad quam aliena haec materies decumbat.

Praestare autumo, generando lacti pabulum subducere victu tenui, ac purgante remedio, et quod generatum jam abundantius est, ad colatorium invitare excipiendis crassioribus etiam recrementis par et potens aliorum omnium colatoriorum vices subire *a*)

a) *Stoll* Rat. med. Pars II. p. 76.

Febris Puerperarum.

Ad eam nunc febrim progredimur, quae in singulari sexu, foeminino scilicet et a singulari causa, puerperio nempe, ortum trahit; de quo multae inter practicos nostris praecipue temporibus, lites agitantur, facili modo ni fallor, componendae, si medici de morbo sanando, quam de vana opinionum ostentatione, solertius cogitarent.

Varias autem opiniones de natura et caussa puerperarum febris ad sex sequentes classes redigendas esse arbitror:

I. Suppressio ac retentio lochiorum.
II. Inflammatio intestinorum et omenti
III. Inflammatio uteri.
IV. Inflammatio peritonaei
V. Metastasis lactea.
VI. Colluvies putrida, vel in primis viis haerens, vel massam humorum inquinans.

I. *Suppressio ac retentio lochiorum, ut caussa*

Huic opinioni praecipue plurimi Veterum annuunt, ut Hippocrates, Boerhaave, ex parte Sennertus, Willis et Riverius.

Quae vero suppressio, si hujusce febris caussa esset proxima, in omni etiam casu adesse deberet, quod autem non semper fieri, a multis scriptorum comprobatum video, quin immo haud raro accidit, ut ne fluxus quidem lochiorum minuatur, sed interdum per totum morbi decursum ad finem usque rite persistat, id quod ex observationibus complurium constat.

Interdum etiam lochia tunc modo supprimuntur, quando febris jam per aliquod tempus duravit.

Inde

Inde igitur colligere licet, lochiorum suppressionem vel modo imminutionem, esse potius symptoma quoddam accidentale, nullo modo indolem morbi essentialem constituens, atque multo magis morbi effectum, quam illius caussam proximam esse.

Fluxum lochiorum autem, a statu naturali aberrantem, nunquam funesta creare mala, minime contendere ausus sim, sed merito multum noxae est metuendum, si lochia supprimantur. Sola enim sanguinis, licet boni, copia retenta, nec per uteri vasa rejecta, si ad partes nobiliores debilioresque simul repellatur, facile ac saepius dolores, inflammationes, atque haud raro adhuc deteriora mala harum partium, atque non levem febrem, excitare potest. Quin immo, si lochia, a boni sanguinis indole desciscentia, puriformia nempe, atque foetentia fiunt, tunc certe, resorpta, aut retenta innoxia fore, quis dixerit? Sanguinem lochialem autem hanc pravam atque nocivam indolem facile acquirere posse, nemo ulterius extra dubium ponet, si perpendat loci, quonam is retinetur, colorem, liberioremque saepe aëris accessum, quae duae caussae alterationi

et

et corruptioni hujus liquidi animalis excernendi ansam praebent, atque tali modo fomitem variorum, interdum gravissimorum, malorum suppeditant. Quum igitur ista lochiorum suppressio per se jam mala funesta parere possit, quis non viderit, quanta et qualia incommoda puerperis, febre insuper perniciosa correptis, exinde accedere possint?

II. *Inflammatio intestinorum et omenti.*

Hanc sententiam secuti sunt *Hulme*, *Leake* et *de la Roche.*

Hulme hujusmodi inflammationem tribuit pressioni, quam uterus gravidus in omentum et intestina exercet; circulatione sanguinis igitur per haec viscera turbata, stases sanguineae, et demum harum partium inflammatio oriatur necesse est. Rationes et argumenta pro confirmanda sua opinioe desumit a cadaverum sectionibus; in quibusdam omentum et intestina inflammata et gangraena affecta, cavumque abdominis putrido purulentoque latice, nec non spiritu foetentissimo repletum invenit. Huic sententiae etiam *Leake* favet, in eo au-

autem ab Hulmeana sententia digreditur, quod loco compressionis vasorum, ab utero gravido illatae, potius constrictionem uteri, et illam exinde in toto corpore, praecipue autem in sanguinis circuitu repente obortam mutationem, tanquam hujus inflammationis caussam, arguat. Utero enim, per inclusum foetum extenso, truncum arteriae aortae comprimi, quocirca sanguinis per illius truncum ramosque circuitus impediatur. Excluso autem foetu pressio uteri in aortam descendentem desinit, atque obstaculo, circulationi sanguinis inimico, remoto, tunc sanguis rapido cursu intrat vasa prius compressa, quae, quia impetui sanguinis intrantis amplius resistere nequeunt; magnopere inde distenduntur, atque ob nimiam illam distensionem debilitantur: unde oriuntur stases, inflammatio et suppuratio, inprimis in omento et intestinis, quae partes majori vasorum copia, laxioris insuper compagis, quam reliqua viscera, sunt instructae. Ex eadem caussa etiam secretionem bilis auctam, in hac febre obviam, derivandum esse, maxime probabile.

Truncus enim venae portarum, qui hepar versus sanguinem vehit, et surculis minoribus ortum ex intestinis trahit, majorem sanguinis nunc accipit copiam: unde apparet, secretionem bilis, circulatione sanguinis per hepatis substantiam liberiore reddita, magis magisque accelerari. Ex his *Leake* conclusionem fecit, secretionem bilis, huic febri supervenientem illiusque secretae per vomitum rejectionem, nullo modo convincere nos posse, febrem hanc esse biliosae indolis.

Reliqua argumenta, pariter ac *Hulme* ex sectis cadaveribus desumit.

De la Roche eandem de febris puerperarum caussa tuetur sententiam. E descriptione et ratione symptomatum enim, inquit, nil evidentius apparet, quam quod inflammatio viscerum imi ventris caussa hujus febris proxima sit. Sententiam suam aeque ac *Hulme* et *Leake* sectionibus cadaverum probabiliorum, quin imo certissimam, reddere studet.

Ad caussas praedisponentes et occasionales inprimis refert compressionem vasorum viscerum abdominalium, praecipue omenti ac intestinorum, ab utero gravido deri-

derivandam, porro frigidam tempestatem; constitutionem epidemicam, animaeque affectiones, praecipue timorem atque terrorem.

Sed jam meum esse arbitror, ut aliquid contra horum opinionem proferam, quo intestinorum inflammationem minime pro caussa proxima febris puerperalis agnoscendam esse, certiores reddi possimus.

Febris haec, si vere indolis esset inflammatoriae, venesectionem, tanquam praecipuum, ac certissimum in inflammationibus internis remedium, ad debellandum, et penitus extinguendum morbum, fere solam sufficientem fore, arbitror, nec opus esse aliis ad sanationem perficiendam remediis. *Hulme* autem solummodo provida circumspectione mittit sanguinem, atque praecipue commendatas habere vult evacuationes per os et alvum; *Leake* venesectionem tanquam princeps in hoc morbo auxilium spectat, modo autem in initio; raro enim die secundo aut tertio, primam post accessionem febris institutam, ullo modo afferre levamen; tunc autem temporis aegrotae potius convenire medicamenta, bilem corruptam evacuantia,

et

et, si quid putridi admistum sit, antiseptica "

Epidemia illa, quam *Leake* observavit, omnino ejusmodi erat, ut venaesectiones, statim ab initio institutae, summae essent utilitatis.

Jam alia adhuc attingam argumenta, quorum ope hanc opinionem refutare possumus. Febris, si inflammationi esset tribuenda, multo frequentius eveniret, et potius primiperas, quam mulieres, repetita vice enixas, infestaret. Caussa enim illa, compressio viscerum, vasorumque in illis contentorum, in omnibus ac singulis adest, quae igitur multo frequentius, quam revera accidit, febrem esset allatura. Primiperas autem omnium minime illi obnoxias reddi, experientia probat.

Porro etiam prae ceteris mulieres, corpore sano, robusto, multoque sanguine praeditae, vitam insuper agitatam exercitatamque gerentes, ut feminae rusticae, huic malo magis essent obnoxiae, quam illae, quarum solida non robusta, sed laxiori compage instructa sunt, et quae potius vitam sedentariam gerunt, atque sanguinis copiam imminutam habent: quod

vero

vero etiam secundum omnium experientiam rarissime accidere solet.

Si, secundum *Hulmeanam* opinionem, pressio uteri gravidi, ad hanc inflammationem ciendam sufficeret, tunc potius ante partum, quam illo peracto, morbns exoriretur.

Nil autem hanc opinionem facilius irritam facit, quam observationes *Stollii*, qui praesente summa abdominis sensibilitate, et fere luculentissimis internae inflammationis apparentibus signis, nihilominus omnia haec symptomata evacuationibus per os et inprimis per alvum dissipavit. Praesente autem vera et genuina inflammatione haec medendi ratio certissime nullam utilitatem, quin potius noxam allatura esset. *White* undecim puerperis, febre hac correptis, venam non secuit, nec ulla illarum mortem passa est

Attamen interdum inflammatio intestinorum omnino locum tenere potest, minime autem est inflammatio primaria et genuina, sed secundaria et spuria, in progressu morbi accedens, quae a materie quadam vellicante et irritante, in tractu intestinorum haerente, ortum trahit.

Praepostere hic deciditur, animadvertit Ill. *Frank*, de re gravi, circa quam sola experientia esset auscultanda. Quamvis vero haec doceat, frequentissime inflammationem veram non esse *febris puerperalis* causam primariam; negari tamen nequit, *aliquando* esse; licet post paucos dein dies in longe aliam naturam abeat hic morbus, quam cum qua invaserat. Si plethoricam juvenemque foeminam post partum laboriosum, et post irritata laesaque rudiori obstetricantis manu genitalia, invadat aegritudo; si pulsus, uti vidi, durus, plenus, fortis fuerit; si lochia suppressa fuerint; nemo certe prudens negaverit inflammatorium morbi characterem: nemo venae sectionem sub his circumſtantiis cum ratione erit recusaturus: ad quod accedit, *Epidemicas Constitutiones* non semper esse easdem, neque praedici posse, phlogisticam naturam morbo huic semper esse abfuturam. Certe si rem accuratius considero, *Variola*, a contagii stimulo ad cutis superficiem nata, *Cavulum*, mox post aliquot dies, sistit, lactescente, purulentoque, tenui humore, repletum: ut simile hic sub epidermide phaenomenon con-

tin-

tingat, quod in *febre puerperali* in *abdominis cavo* contingit. Atqui tamen *Variola* vel inflammatoria sit ejusdem, vel putrida, malignaque natura, abundat tamen effuso hoc sub epidermide liquido purulento: quod a stimulo quovis, uti ab ipso etiam cantharidum acri, hic extravasatur. Ex eo vero, quod *variolae* nullam saepe febrem habeant; ex eo, quod saepe longe ab inflammatoria indole absint, nemo tamen negaverit, Epidemias Variolarum subinde dari, quarum natura multum de inflammatorio participat. Eadem de *puerperali febre* dicenda sunt: communissime quidem ex inflammatione non oritur; sed aliquando haec latet, non vero in progressu tantum morbi accedit, ita ut *practico* in censum non esset ducenda. Curavi igitur sub talibus circumstantiis febrim puerperalem administrata mox primo morbi principio venae sectione; atque alii etiam ita c‹›rarunt. Quare et ad phlogosin in hoc morbo respicere oportet medicum, licet in quamplurimis casibus venae sectioni locus esse non possit: quod in gratiam eorum hic monendum esse putavi, qui ad simplices nimis origines morbos reducunt, et syste-

 ma-

mata mox nimis generalia condunt, nulli bi, quam in praxi medica, fataliora.

III. *Inflammatio uteri.*

In hanc opinionem nonnulli in arte obstetricia praeclari viri, ut *John Burton*, *Johnson*, *Denmann*, *Smellie*, *Kirkland*, animum convertere; atque hanc originem febrium puerperarum, veluti probabiliorem assignant. Uterum in hujusmodi febre, una cum aliis cavo abdominis contentis visceribus, interdum inflammari, sine dubio fateri cogimur. Saepe enim sese manifestant symptomata inflammati hujus visceris luculentissima, et reserata cadavera interdum uterum inflammatum et gangraenosum ostendunt.

Hanc vero uteri inflammationem pro caussa proxima hujus febris agnosci debere, exinde non sequitur; quae enim, aeque ac inflammatio intestinorum, si adsit, multo magis tanquam morbi effectus, ast minime caussa consideranda est. Id quod autem huic opinioni fere omnem aufert probabilitatem, est, quod haec inflammatio non semper in demortuis observata sit.

Ute-

Uterum autem interdum omnino affici posse, quando lochia turbantur, atque sanguis lochialis sic in utero retentus, corrumpitur, et acrimoniam nanciscitur; aut si uterus in partu fuerit laesus, aut portio quaedam placentae remanserit, quae putrescit, atque ob acrimoniam acquisitam uterum irritat, et tali modo inflammationem hujus visceris gignere potest, unusquisque facile intelliget. In genere etiam haec inflammatio, a caussa interna, monente *Selle*, rarissime accidit.

Fortiter etiam *Walterus* insurgit contra caussam febris puerperalis ex utero inflammato petitam, qui in nullo cadavere post hanc febrim dissecto *Metritidem*, ut *caussam*, potuit detegere. *Leakius* fortiter comprimebat ventrem aegrotarum supra pubem, neque minimum abhinc dolorem aegrotae persentiebant: cum interim eadem pressio ad regionem epigastricam et supraumbilicalem, summos mox dolores causaret. Simile et mihi exemplum in praxi occurrit. Interim negari nequit, uteri phlogosin saepius fuisse observatam, et quam plurima exempla *Burserius* noster egregius, licet de suis nihil addiderit, mor-

 bi

bi hujus historiae citavit (Instit. med. pract. §. 1. §. 468.). Certe in foemina illa, quam supra descripsi, acerrimus et nates corrodens ichor paullo ante mortem ex genitalibus effluxit: ut, licet sectionem cadaveris facere non datum fuerit, facile tamen concludi possit, in utero labem localem, sphacelumque haesisse.

IV. *Inflammatio peritonaei.*

Hanc caussam, excepto illo tam celebri ac ingenioso viro *Huntero*, nullus auctorum in medium protulit (*).

Argumenta, pro stabilienda sua opinione, e sequentibus desumit:

Primo secta spectat cadavera, quae saepe solam hanc membranam inflammatam ostenderunt.

Deinde etiam contendit, uterum, reliquaque abdominis viscera in hac febre primario non affici, et, si aliquando inflammata reperta fuerint, a consensu illorum cum peritonaeo derivandam esse hanc subortam inflammationem.

Sed

(*) Adhaesit nuperrime *Walterus* de morbis peritonaei et Apoplexiae.

Sed haec opinio quam minimum probabilitatis praesefert, qui enim fieri potest, ut tam exitiosa atque lethalis existat haec inflammatio, quum haec membrana nullo modo illis corporis partibus adnumerari queat, quae, si quo modo laesae fuerint, oeconomiae animali damnum saepe irreparabile afferre possunt. Quodsi autem aliquando in demortuis inflammata reperiatur, ut interdum omnino accidit, illius inflammationem, aeque ac illam intestinorum, uteri et omenti, potius effectum, quam caussam esse, credere mallem.

Interdum autem re vera adesse hanc inflammationem, experientia edoctus est *Vogel* in quodam casu, ubi inflammatio transivit in suppurationem, et morbus, in quo summa tensio et sensibilitas abdominis percipiebatur, abscessu, foras rupto, ex toto resolutus est. Symptoma, quod secundum *Vogelii* sententiam, planum facit, inflammationem hanc esse abortam, in eo consistit, quando sensibilitas abdominis tantopere aucta est, ut nec minimum tactum, ne illum quidem ex indusiis, aegra possit perferre.

Convenit tamen, et *Peritonaei* inflammationem subinde pro caussa morbi admittere: quis enim ea huic membranae negabit, quae *Pleurae*, in morbis pectoris subinde concedimus? Certe, qui *dilatata* sub graviditate vasa externum abdomen superscandentia consideraverit, non erit negaturus, simile quid in profundiori peritonaeo contingere. Accedit summa musculorum abdominalium sub partus opere, in debiliori foemina, per multas aliquando horas continuata actio; accedit imprudens saepe per manus obstetricum abdominis compressio: ex quibus certe caussis extrema vasorum exhalantium oscula facile ad morbosas secretiones praeparabuntur. Interim plurima sunt, quae *Peritonaei inflammationem* pro praecipua febris puerperalis caussa considerare, protinus non permittant.

V. Retentio et metastasis lactis.

Apud plerosque Gallos hodie jam invaluit, a lacte intra sanguinem retento, et in aliena loca rejecto, non solum varia et funesta mala, ut apoplexiam, peripneu-

mo-

moniam et abscessus, exinde lacteos vocatos, verum etiam febrem istam, de qua jam verba facimus, potissimum proficsi in puerperis. Huic opinioni praecipue favent *Le Roy*, *Puzos*, *Leuret*, *Doulcet*, *Doublet*, v. *Swieten*, *Selle*, et *Gruner*.

Argumenta, cur ita sentiant, haec sunt.

1. Mulieres, quae natis ubera non porrigunt, proniores in hujusmodi febrem existant, et vice versa.

2. Lac in mammis congestum ac retentum saepe est caussa tumorum, inflammationum, abscessuumque, quibus feminae sunt obnoxiae: qui tumores autem non solum in mammis, verum etiam, si lac in sanguinem regurgitat, in aliis quibusdam corporis partibus, tam externis quam internis, observantur.

3. Sectiones cadaverum illud plane demonstrant. Materiam enim illam purulentam, in cavo abdominis repertam, esse nihil aliud, quam lactis corrupti, ac ibi depositi, coagulum, in quonam haud raro luculentissimos lactis coagulati flocculos oculis percipere possumus.

4. Mammae in ista febre plerumque fiunt flaccidae, lacteque carent, quod vel

jam a primo morbi ingressu accidit, vel morbo supervenit prorepente.

5. Lacte deficiente aut retrogresso, aegrotae quam pessimae afficiuntur, mitius autem aegrotant, si mammae denuo turgescere incipiunt.

His argumentis nituntur opiniones illorum, qui febrem puerperarum a lacte rentento, et in sanguinem retrogresso, derivare student.

Jam vero perlustremus singulatim modo relatas argumentationes.

Ad 1. argumentum. Foeminas, lac quae porrigunt natis, hac febre esse immunes, minime cum experientia convenit. *Leake* eo tempore, quo febris puerperarum magna cum vehementia et saevitie aegrotas afficiebat, omnibus ac singulis puerperis, infantibus praebere ubera, mandatum dedit, qua cautione fisus, morbum foeminam non currepturum, cedidit. Verumtamen spes illum fefellit; nihilominus enim illae, quae jussum erant secutae, morbo affectae sunt, et aeque vehementer et insidiose ac antea aegrotarunt (*).

Ad

(*) Neque feminae *Insubricae*, quae, exceptis rusticis, filios non lactant, febri puerperali magis subje-

Ad 2. argum. Lac in mammis congestum et retentum prorsus ab omni noxae suspicione vindicari haud posse, omnibus notum esse arbitror. Quis enim haud sciat lac quandoque in mammis mora et stagnatione ita vitiari, ut varia exinde oriantur incommoda: v. c. nodi sic dicti lactei, qui, nisi mature medicamentorum efficacissimorum ope resolvantur, et lac sic resolutum et liquefactum, varia encheiresi e mammis proliciatur, cito plerumque subeunt inflammationem suppurationemque; cujusmodi abscessus nonnunquam valde curatu difficiles existunt.

Pari ratione etiam in aliis corporis partibus, praesertim inferioribus, formantur abscessus, qui originem a lacte, per metastasin ad haec loca rejecto, trahunt.

Verumtamen ex his naturam et caussam puerperarum febris haud posse comprobari, arbitror.

Ad 3. argum. Vix probabile esse videtur, materiam illam purulentam, lacti similem, in cavitate abdominis post mortem

etae videntur, quam *Germanae* matres, quae ubera proli sugenda porrigunt.

tem repertam, esse lac per metastasin ad haec loca repulsum, ac ibi corruptum.

Interdum enim etiam in reseratis cadaveribus, alio morbo e vita sublatis, pluries inventa est materia quaedam, lacti similis, sine ulla lactis suspicione.

Apud *Morgagni* exstat prae ceteris observatio, ubi in mulieri, ex peripneumonia demortua, quae nec puerpera, nec partui ulli proxima erat, sinistrum thoracis cavum sero albicante repletum inveniebatur, simili quoque materia pericardium turgebat, illiusque superficies interior, exteriorque cordis obducta erat materia quadam albicante *). Similia abservavit *Burserius*, dum inquit: „ ego quoque pluries in cadaveribus, tam morbis acutis, quam chronicis, denatorum, et quidem virilis sexus, pericardium humore lacti similimo plenum, cor vero materia quadam caseosa obductum deprehendi, qua absterśa, solummodo levior inflammatio cernebatur." *Percival* narrat historiam puellae octennis, ascite at anasarca laborantis, in qua bis paracen-

*) Epistol. Anat. Med 45. n. 16.

centesis instituta sit, et qualibet vice insignis copia humoris lactei sit extracta.

Plura adhuc alia hujusmodi observata, de materia quadam lacti simili in resectis cadaveribus obvia, sine ulla autem lactis, per metastasin ad haec loca rejecti, suspicione, ex scriptorum monumentis proferre possem, sed haec sufficere arbitror, ad illud comprobandum; solam liquidi illius albicantis, in abdominis cavo puerperarum, ex hujusmodi febre denatarum, obvii, cum lacte similitudinem, rationes sufficientes plane non suppeditare, quae rem probabilem reddant, materiam istam esse nihil aliud, quam lac retentum, ibique depositum.

Verumtamen lac ab omni noxa immune vindicare, perinde irritum esset, ac ab illius metastasi sola febrem puerperarum deducere; quodsi enim in illius decursu secretio lactis retardata, aut penitus suppressa fuerit: exinde omnino summum morbi incrementum, et vitae periculum metuendum est:

Miror egregium *Selle*, ait Illustrissimus *Frank* in animadversione ad hoc argumentum, Gallorum de lactis metastasi ut pro-

proxima febris puerperalis caussa; opinioni accessisse (Medicina Clinica edit. 3. p. 544.) cum tam valide contra hanc rationes pugnare videantur. Vidi certe puerum plenis buccis ubera suxisse lacte plenissimae matris, quae post paucos dies a febre puerperali fuit extincta. Similia alii viderunt, et, si saepius mammae concidant, videtur hoc multis aliis secretionibus commune esse, ut, accedente febre, arescant. Frequentissime certe et in aliis puerperarum morbis mammae concidunt, quin igitur *puerperalis febris* symptomata observentur. Ex eo ipso vero, quod matri lactationem recusanti mammae turgeant et cum dolore tumeant; quod indurentur, inflammationem subeant, et non raro suppurentur, videtur conjici posse, non tam facile lactis in sanguinem regurgitationem copiosiorem esse, quam *Mekelio* comprobatum esse apparebat. Mirarer febrim puerperalem non frequentiorem, saepe vero *epidemice regnare*; mirarer, ceteris animalibus minus propriam non esse, quas, uti equas, capras, ob absentem diutius pullum, aut tardiorem emulcionem mammis turgere, dolere vidi, ut gressus face-

te

re non possent; sed, humanae feminae adinstar, cum tanto discrimine aegrotasse, non noverim. Neque *chylus* in sanguine copiosius licet circulans, a lacte parum diversus, hactenus accusatus fuit per depositionem hominibus, lautissime etiam nutritis, nocuisse. Intercepta igitur lactis secretione, lac ipsum retentum pro morbi caussa vix poterit assignari. Toties vero jam dictum est, extravasata, post inflammationes viscerum, liquida, ob solum colorem, et subsidentis coaguli cum caseo similitudem, lac ideo dicendum non esse, ut cessare tandem debeant tam vana saepe de quotidianis metastasibus lacteis judicia. Vidimus, ut quam plurima mihi alias visa sileam, die 25. mensis Decembris 1787. in Clinico Ticinensi, in viro juvene, hepatitide et peripneumonia, inter nosocomii aegrotos, extincto, copiosissimam talem, colore protinus serum lactis referentem materiam in abdomine contentam, et ex pectoris etiam cavo per exesum diaphragma depluentem, parte crassiori, quasi caseosa, commixtam, quae prorsus inflammationis productum fuerat. Quare ridiculum est: in foeminis pro *lacte* decla-

clarare; quod et in viris, forti inflammatione detentis, non semel tantum detegitur. Curavit quidem praeclarus *Selle*, materiam illam albidam, ex foeminae, puerperali febre mortuae abdomine desumptam, ab experto *chemico* (D. Hermbstaedt) examinari: atque responsum dedit iste; praedictum liquorem esse *lac imperfectum*, alcali superabundans etc. (*Neue Beytraege zur Natur und Arzneywissenschaft* 1780). Vereor tamen, ne ob quandam animalium humorum a morte stagnantium similitudinem, errori hic locus fuerit. Ipsum certe *pus*, et, quod vocamus *purulentum*, humorem sistit, lacti, aut cremori ejus non admodum dissimilem: gaudet tenuiori, *serosa*, dein oleosa, quam pro *butyracea* habere licebit, ultimo vero lympha quadam coagulata, quae *casei* fere naturam referre videtur. Atqui sic non adeo utriusque liquoris, tum *purulenti*, tum *lactei*, producta, si chemice examinentur, a se distabunt, praecipue dum post diuturnam demum stagnationem lactis instituta analysis, cum illa *purulenti* fluidi, adhuc recentis, conferatur. Meretur haec mea opinio experimentis vel confirmari, vel refelli; at-

que

que primam in *Clinica Ticinensi* occasionem mox arripiam, et, quid examen accuratius docuerit, suo tempore non reticebo.

Interim non in totum negaverim, lac aliquando posse reprimi, antequam in mammis adhuc potuerit coagulari, et, si variis de caussis corruptum fuerit, posse ad alias partes subinde deponi, ibidemque stagnare, irritare, etc. Vidi manifestum exemplum in foemina nobili, quae turgidissimis lacte mammis, cum puerum lactare recusasset, consilio Chirurgi admovit *vapores discutientes*. Mammae citissime concidebant: sed ad crus dextrum mox subortus est tumor insignis, dolens, anasarca albissimum referens, non nisi sex septimanarum tempore dispulsum. Certe quaevis secretio, *subito* suppressa, damna sua habere consuevit, neque negari possunt in integrum *metastases lacteae*, licet nimium iisdem tribuerunt *Galli* inprimis medici. Foeminam vidi in Nosocomio Ticinensi, cui Ill. et Celeberrimus Anatomiae et Chirurgiae Professor et collega amicissimus *Scarpa*, ope tricuspidis, mammam mole insignem, et cum interna fluctuatione turgentem, aperuit. Per plures menses

 jam

jam duraverat tumor, nec inflammatio praegressa fuerat, quae de suppuratione dubium movere potuisset. Effluxerunt sinceri, pinguissimi et currupti lactis librae circiter octo, cujus analysin instituit Illust. Collega *Scopoli*. Ex his concludere fas est, non tam facilem, ac creditur, lactis e mamma repulsionem, neque tam citam lactis corruptionem esse, ut abhinc febris puerperalis symptomata tam frequentia rectius queant explicari.

Ad 4. argum. Mammas in febre puerperali interdum fieri flaccidas, et lacte carere, compertum atque evictum est; hanc autem mammarum flaccescentiam, lactisque defectum haud raro abesse, e contrario autem mammas interdum ab initio ad finem morbi usque tumidas existere, lactisque secretionem et excretionem nullo modo turbari, licet morbo gravissimo, evidenter demonstrant observationes Cel. *Leake* et aliorum. Mammas jam ab initio antequam febris ipsa, atque symptomata illam insequentia, exorta fuerint, lacte carere, rarissime accidit, sed fere omni in casu, quo lac e mammis disparuit hoc

fieri

fieri solet aliquod tempore post febrem accensam.

Nonne ex his colligere licet, recessum lactis potius esse morbi effectum, quam caussam?

Ad 5. argum. Facile dijudicatu est, cur aegrotae plerumque tum vehementius laborent, quando suppressa fuerit lactis excretio, ac melius sese habeant, si lac iterum per mammas effluat. In priori enim casu adest caussa quaedam vehemens et valida, quae efficit, ut lac a mammis avertatur, quo facto aegrotae status, jam ante lactis suppressionem periculum minans, adhuc periculosior, et eventus morbi incertior reddatur, oportet. Quodsi autem in decursu morbi mammae denuo lacte repleantur, indicium caussae mitigatae et levioris redditae, spemque valetudinis recuperandae exinde desumere licet. Minime autem hoc morbi ex suppressione lactis gravamen, atque ex illius rursus ad mammas itinere febris lenimen pro argumento lactis metastaseos arguendae, censendum est.

Haec sunt, quae mihi, ad refutandas opiniones eorum, qui metastasi lacteae

febrem puerperarum tribuendam judicarunt, tradenda erant. Paucis vero adhuc nonnullas alias attingam rationes, quae insuper nos possunt convincere, quam infirma haec sit opinio. Compertum quidem est, lac esse succum blandum, dulcem, et omnis acrimoniae expertem; qui autem fieri potest, ut tam blandus, et humanae naturae amicus liquor, si retineatur, aut in sanguinis massam redeat, tam atrocem et insidiosam stragem excitaret? Si lac hujusmodi indolis in sanguinis vias repulsum, tam insidiose et inimice in corpus humanum ageret, tunc omnino etiam nutrices tempore ablactationis huic febri obnoxiae essent, in quibus lac e mammis repellatur et derivetur, necesse est, quin nodi, inflammationes et suppurationes mammarum oborirentur. Attamen de hac febre tunc temporis observata, nullum exstat exemplum.

Aliter quidem res sese habent, quando lac variis caussis alteratur, ac vitiosae redditur indolis: tunc enim omnino, repulsum, et in varias corporis partes depositum, pro diversitate partis, ad quam ac-

ce-

cedit, varia et diversa mala atque incommoda, producere potest.

Igitur nonnunquam ex hac caussa observantur apoplexiae vehementes, quum vitiatum ac corruptum lac cerebrum petit; pleuritides et peripneumoniae, si lac illud ad viscera thoracis, respirationi inservientia, repellitur. Porro saepe oboriuntur tumores lactei in partibus corporis externis, praesertim inferioribus, qui plerumque in suppurationem transeunt. Interdum etiam in textum cellulosum, quod cutim et musculos, imprimis extremitatum inferiorum, interiacet, repulsum deponitur, ibique oedema, anasarca lacteum dictum, procreat.

Caussae, quae lac vitiatum reddunt, praecipue sunt errores diaetae, refrigerium corporis, prae ceteris animi pathemata, ira, tristitia, moeror, terror etc.

Haec quidem omnia, hactenus in Gallorum opinionem, de metastasi lactis, ut febris puerperarum caussa proxima, prolata, sic accipiantur velim, ne quis in errorem animum inducat, ac si a lacte in hac febre nunquam quid metuendum esset, sed prorsus ab omni noxae suspicione vin-

 di-

dicandum sit. Periculosior enim aegrotae conditio evadit, et summam requirit attentionem, si mammae in decursu morbi fiunt flaccidae, et lactis quantitas vel imminuitur, vel penitus evanescit. Mala enim, ex sola hac retogressione lactis metuenda, aegrotae summum detrimentum, quin imo vitae periculum inducere possunt; quanto plus noxii effectus, in hac febre, per se, absque lactis et mammarum vitio, jam valde perniciosa, exinde oriri possint, quilibet facile dijucabit.

VI. *Colluvies, inprimis putrida, vel in primiis viis haerens, vel massam humorum inquinans*

Huic sententiae favent praecipue *Riverius*, *Sennert*, *Willis*, *White*, *Butter*, *Kirkland* ex parte, *Millar*, et *Vogel.* Argumenta, quae proabare videntur, caussam febris puerperarum plerumque in primis viis latere, et a vitiosa colluvie ibi collecta ortum trahere, sunt sequentia.

1. Ex contemplatione graviditatis status colligere licet, cur gravidae et enixae ad suscipiendos morbos ex abdomine nas-

cen-

sentes, aptiores reddantur, quam ad alios ex alia caussa provenientes. Foemina tempore graviditatis ob magnam illam revolutionem, praecipue in sanguinis circuitu, cessante fluxu menstruo, obortam, spasmis variis abdominalibus vexatur, exinde oriuntur secretionum atque excretionum abdominalium turbae; complures gravidarum obnoxiae redduntur vitiis digestionis, appetitus mox imminutus, mox iterum validus, nonnunquam etiam insolita, concotu saepe difficilia, appetunt. Uterus sensim sensimque increscens, viscera abdominalia, vasaque secretoria et excretoria in illis contenta comprimit, unde stases et obstructiones abdominales magis magisque augentur, et stagnans illa materia acris redditur. Ultimo graviditatis tempore mulieres plerumque vitam gerunt sedentariam, quae circulationi sanguinis plura adhuc objicit impedimenta. Ex mala et damnanda illa consuetudine, gravidis mulieribus ultimis praesertim graviditatis septimanis, victum lautiorem porrigendi, juscula carenea, aromatibus variis condita, potulenta exaestuantia, spirituosa, colluvies primarum viarum omnino augeatur

 ne-

necesse est, ideo praesertim, quia insuper solida illarum laxa et atonica existant. Foetu autem excluso, et cessante compressione, ab utero gravido visceribus imi ventris inflicto, et tunc una veluti vice, atque magno cum impetu humores in intestina ruunt, sordes ibi collectae, antea immobiles, mobilitantur, accumulantur, ac, si natura puerperae adhuc integra, viresque validae existant, soluta alvo foras eliminantur. Haud raro accidit, ut vires aegrotae adeo sint fractae ac dejectae, ut natura semetipsam juvare nequeat, sordesque per alvum eliminare, quae tunc ob acrimoniam, illis inductam, febrem accersunt perniciosam, saepe lethalem.

2. Omnia conveniunt, ad sordes et quidem putridas, procreandas; corpus nimirum jam ante partum, et in partu ipso debilitatum, aër plerumque cubiculo inclusus, ac insuper effluviis impuris, ut illis a lochiis, insurgentibus, contaminatus, cubiculi ac lecti intensus calor, stragulorum multitudo, ita ut aegra perpetuo sudore madeat; potus et cibi calidi; juscula cum multo vino, in genere victus animalis,

lis, abusus medicamentorum calefacientium, corporis neglecta mundities etc.

3. Naturam morbi gastricam subinde colligere licet, si symptomata febrem concomitantia, perspiciamus, quae illis febrium gastricarum respondent, v. c. aspectus linguae, sapor oris ingratus, sensus anxietatis et oppressionis circa praecordia, cephalalgia frontalis, nausea, vomituritiones biliosae, dolores colici intestinorum alvi dejectiones biliosae, male foetentes, etc. Huc pertinet etiam eruptio miliarium, petechiarum in cute, aphtharumque in ore, quae ex sordibus gastricis, minime autem secundum Gallorum opinionem a lacte intra sanguinem repulso, et ad corporis superficiem per modum metastaseos rejecta originem ducunt. Nonne haec symptomata in omni fere febre gastrica, praesertim gastrica putrida, observantur?

4. Febris plerumque corripit pauperes, angustioribus, parumque aëre puro perflatis cubiculis inclusas, nec satis munditiei corporis studiosas, et multo frequentius insuper illas in urbibus, quam rure degentes. In regionibus et anni tempestatibus calidis saepius pauperes infestat, quam illas, sub

 coe-

coelo et tempestate frigidiori vitam gerentes. Porro in nosocomiis puerperarum frequentius occurrere, ibique atrocius saevire solet, quam in praxi privata, quod a vitiato et corrupto aëre, in nosocomiis plerumque obvio, derivari posse, admodum probabile redditur.

5. Methodus curationis etiam hanc nostram probat opinionem; etiamsi enim opiniones auctorum, quorum hactenus mentio facta est, quoad hujusce febris caussam, adeo diversae, et dissentientes sint, methodus tamen curandae hujus febris, ab illis instituta, haud adeo dispar est, atque a se invicem recedens, quam pro ratione opinionum varietatis futura sit. In genere enim omnes dicti auctores eo consentiunt praecipue ad abdomen ibidemque contenta viscera esse respicendum. *Hulme*, qui, ut supra dictum est, inflammationem intestinorum, caussam febris proximam agnovit, venaesectionem solummodo tanquam auxilium, minime autem ut praecipuum et princeps omnium remediorum, ad curandam febrem, consideravit. Venaesectionem autem constituere primum et ultimum in inflammationibus internis remedium,

dium, quo sine fere nunquam inflammatio talis coercenda et profliganda est, quilibet in arte gnarus compertum atque evictum sibi habebit. Secundum *Hulmeanam* autem sententiam potissimum eccoprotica, tanquam convenientissima remedia, summa cum laude extolluntur; nam horum ope quam citissime morbus est profligatus.

Nonne haec omnia satis plane naturam morbi gastricam declarant?

Magis adhuc nostram opinionem confirmat methodus medendi, quam Gallorum quidam *Doulcet* proposuit. Sic habet ille: „ omnia tam interne summa cum circumspectione et prudentia data, quam externe applicata remedia, ut balnea, venaesectiones in brachio et pede institutae, vesicantia, cucurbitulae, hirudines, cataplasmata emollentia, anodyna, exsulio mammarum, quin imo embrocationes abdominis frigidae, mortem nullo modo arcere potuerunt. Indicationem igitur sese offerentem, vomitum nempe biliosum, secutus, aegrotae proprinavit gr. xv pulveris Ipecacuanhae, per duas vices assumendae, quod remedium, postridie repetitum, sensibilem symptomatum remissionem attu-

lis-

lisse, animadvertit. Repetita vice igitur hoc remedium datum excepit haustus purgans oleosus. Quo curationis modo multas aegrotarum restitutas vidit.

Nuperrime quoque Cel. *Fischer* observationem in Gallia nactam promulgavit. Ab illo exinde tempore, quo in nosocomiis Lugdunensibus et Massiliensibus methodus Cel. *Pouteau*, gravidis, loco venam secandi, vomitorium bis vel ter repetitum propinandi, ubique inclaruit atque exercetur, rarissime observantur febris puerperarum, purpura, aut alia gravia puerperii mala.

In gynodochio, cui princeps chirurgus est praefectus, febris puerperarum ne nomine quidem patet, et rarissime lethalem habet eventum.

Nonne hac methodo, febrem puerperalem posse praecaveri, atque caussam morbi genitricem, fomitem nempe gastricum, posse auferri, ita ut perniciosissima puerperarum febrium avertatur, natura et indoles morbi hujus, cum certitudine quasi, plana atque perspecta redditur? Nullum amplius hac de re dubium fore, satis evictus crediderim.

Quam-

Quamvis autem haec modo dicta opinio, de natura et caussa febris puerperarum, omnium probabilissima esse videatur, atque insuper gaudeat auctoritate tantorum atque clarissimorum, in arte medica virorum; adhuc tamen, et quidem merito, nonnulli versantur in dubio, an haec sit unica et proxima febris istius caussa. Antehac enim hanc febrem, ut febrem sui generis, characteribus quibusdam essentialibus, quibus illam ab omnibus aliis febribus distinguere licet, praeditam, auctores habuere, quin imo nomen illi peculiare tribuerunt, ac si puerperae hacce solummodo corriperentur febre, quae subinde etiam caussam modo unicam agnosceret.

Veteres jam, acutas puerperarum febres variis e caussis oboriri, dixerunt, quod *Sennertus* jam observavit, dum „Febres, inquit, putridae puerperarum e duabus caussis proveniunt, vel a lochiorum suppressione, aut imminutione vel ab humorum vitioso apparatu, tempore gestationis cumulato, ac in partu agitato.“ *Riverius* hisce duabus caussis adhuc addit errores diaetae, qui variis modis continge-

gere possunt, vel dum puerperae plura et copiosa fercula, quae sufficienter concoqui non possunt, et in corpore putredinem contrahunt, ingurgitant, vel dum aëri frigido se exponunt, praecipue vigente febre ex lacte. Idem auctor adhuc aliam caussam febrium putridarum puerperis supervenientium affert, si nempe portio quaedam secundinarum in utero remanet, quae ob calorem loci, quum sit pars demortua, putrescens redditur, unde lochia putrida, virescentia, foetentiaque promanant. Qui liquor putridus, si in vias circulationis transvehitur, omnino febrem mali moris accendere potest. Varias agnoscere febres puerperarum putridas caussas, affirmat *Willis*. „ Hujusce febris caussas, inquit, in procatarcticas, evidentes et conjunctas distinguere libet. " Istae prioris generis sunt praecipue duae, prava sanguinis diathesis, a longa mensium suppressione derivanda, et malae uteri affectiones. Ad caussas evidentes s. occasionales pertinent mala victus ratio, et frigoris susceptio. Caussa conjuncta, s. ratio formalis haec tria complectitur: sanguinis inductam dyscrasiam, succum nervosum acrem, et laesionem uteri. "

Haec autem veterum opinio in eo a vero aliena versatur, quod illi putant, suppressionem lochiorum ideo nocivi esse effectus, quia sanguis ille, illorum fluxu eliminatus, sit sanguis vitiatus, ex retentione catameniorum durante graviditatis tempore in uteri venis accumulatus; partem enim innocuam ad alendum foetum a natura exhiberi. Sed illum sanguinem, fluxu lochiali excretum, minime esse vitiatae et nocivae naturae, potissimum autem ejusmodi esse conditionis, ac ille in reliquis corporis vasis contentus, neminem hodie amplius dubitaturum esse, sum persuasus. Reliquae autem a veteribus observatae et modo recensitae caussae omnino multum valent, ad procreandam vel augendam saltem febrem nostram puerperarum, quod observationibus recentiorum confirmatum video.

Prae ceteris judicium et ratiocinium Cel. *Vogel* memoratu dignum arbitror, cujus opinio magnopere mihi arrisit, quum dixerit, febrem puerperarum nomen febris essentialis, febris sui generis, quae ratione symptomatum caussarumque a reliquis febrium generibus valde diversa sit, minime mereri.

Nullum enim symptoma, ex illorum ingenti cohorte, quae febrem nostram concomitantur, sese visui medici offert, quod nec in aliis morbis, praesertim febribus gastricis, et gastrico-putridis, observari licet, exceptis illis, quae peculiaris aegrotae status habita ratione, in puerperis modo eveniant, necesse est, ut uteri et mammarum conditio.

Nonne etiam varietas descriptionis, variis ab auctoribus traditae, illud comprobare videtur, febrem hanc non semper unius ejusdemque indolis, praesertim ratione caussarum, existere?

Nuperrime etiam *Chambon de Montaux* febrem nostram nomine peculiari ne quidem designavit, sed dum de febribus puerperarum acutis sermonem facit, trium morborum fecit mentionem, et quidem febrem humoralem ex primarum viarum colluvie, deinde diarrhoeam, et denique febrem putridam et malignam pertractavit, quae morborum species simul junctae constituunt febrem istam puerperarum, de qua verba facimus, id quod ex illarum cum hac convenientia luculenter apparet.

Quare cum ita res se habeant, opinionem Cel. *Vogel*, aliorumque maxima probabilitate esse praeditam, quin imo dicam, veritati proxime accedere, convictum me habeo, febrem nimirum puerperarum non modo unicam, sed aliam atque aliam agnoscere caussam. Nullum igitur febrium genus existit, cujus naturam febris puerperarum interdum inducere nequeat; nunc enim est inflammatoriae, nunc gastricae, nunc putridae, interdum etiam nervosae indolis. Febrem subinde, rarissime quidem, esse inflammatoriam, *Stoll* affirmat, et quidem tunc temporis illiusmodi indolem adsciscere potest, quo sanguis acri gelu, et flante borea, dispositionem inflammatoriam potest nancisci. Attamen etiam hoc tempore puerperas minus aptiores ad recipiendas inflammationes esse, optime monet idem, et quidem eam ob caussam, quia foeminae in universum, ob laxiorem corporis compagem, et sanguinem minus phlogisticum, haud ita facile ut viri, febribus inflammatoriis corripiantur; ita potius puerperae, quae aliquam in partu, aut post eundem sanguinis jacturam perpessae sunt, et quarum corpus

exinde plus minusve debilitatum est, quamdam ab inflammationibus immunitatem jure possidebunt.

Quando autem inflammatorii aliquid in hac febre observatur, fere nunquam inflammatio vera, et pura, sed potius complicata est, quod bene distinguendum; nam quod si inflammatio sit complicata, in errorem incideres, et saepius noxios produceres effectus, si methodo antiphlogistica uti velles.

Frequentius autem fomes in primis viis latens, febrem nostram accendit, quae tunc nullo modo ab aliis febribus gastricis differt. Pro varia et vitiosa fomitis latentis natura autem, etiam febris exinde orta, varia atque praesertim triplex est: vel febris gastrica pituitosa, vel gastrica biliosa, vel gastrica putrida, ac nisi sordes evacuantur, massa etiam humorum simul inquinatur, atque febris gastrica, sanguineo-putrida, omnium pessima, exoritur.

Febrem puerperalem interdum induere indolem febris nervosae, affirmat Cel. *Vogel*, quod praeprimis fit in mulieribus, systemate nervorum admodum debilitato

et

et sensibili instructis, quod ex multis praegressis puerperiis, cura et moerore, fluore albo, multisque aliis, nervosum systema afficientibus caussis, valde debilitatum est. Raro autem hic loci febrem nervosam simplicem observare licet, sed fere omni in hoc casu gastrici aliquid immixtum reperitur.

Si miram gravidarum, inprimis vero puerperarum sensibilitatem paullo attentius consideremus; si observationum rationem habeamus, quod aliquando *subito*, absque praegressis causis evidentibus ab hoc morbo invaduntur sanissimae pridem mulieres: non certe mirabimur, *nervosi* quamplurimum, seu *spastici* hic subesse: quo plura forte symptomata in *gastrico* systemate oriuntur, quam ab ipsa saburra hic praesente. A solo nimirum virili semine, graviditatis primo tempore, tot anxietates, animique deliquia saepe excitantur: ut mirum non sit, a parvis aliquando caussis ad *uterum* forte haerentibus, cultro anatomico post mortem nequaquam detegendis, similia excitari; ita ut insignis mox virium defectus accedat, et symptomatum nervosorum cohors. Certe si *choleram morbum*

bum excipiam, pauci mihi remanere videntur *morbi gastrici*, qui tam cito lethalem aegrotantibus exitum concitent, nisi subtili admodum *contagio* in nervos agatur: quod in febre puerperali *sporadice* hinc inde invadente supponi vix potest. Adinstar vero contagii saepe agit nervorum etiam parvorum laesio, ut non solum febris abhinc atque vomitus, sed et ipse aliquando tetanus excitetur. Quare in mentem mihi quondam venit, an forte quibusdam in casibus febrium puerperalium, primis jam diebus lethalium, *in cranio* magis ac *cerebro*, aut medulla lumbali, quam ad uterum, ipsumque abdomen, princeps morbi caussa haesisset? Odi semper hypotheses experientia non suffultas; sed videbantur mihi capitis vulnera, tot saepe turbas ad systema gastricum excitantia, ulteriorem hujus ideae considerationem permittere. A sola cerebri concussione vomitus enormes vident saepe practici, et a levi capitis vulnere. Sed obstabat ventris in puerperis tumor, collectique in cavo abdominis seri puriformis copia. Fateor, haec localem magis viscerum imi ventris adfectum posse significare; interim si me-

cum

cum cogitem, post capitis vulnera, toties ad hepar atque ad singula alia abdominis viscera, abscessus lethales observatos fuisse, non indignam attento Practico suspicionem esse credidi: num forte *puerperalis febris*, quam *nervosam* dicimus, caussa proxima, in *longuinqua* magis parte esset quaerenda? Quaeram vero, ubi occasio dabitur aut in Clinica mea, aut in Nosocomio, neque contentus abdomen solum perlustrasse, nervorum etiam fontem per totam sui extensionem examinabo. Dejicit vero inquisituri animum, quod tam saepe, quod in nervos agit, id non sit, quod cultro anatomico queat demonstrari. Nihil tale offerunt, qui a forti animi pathemate, qui a vi dolorum, ad torturam positi, subito extinguuntur, aut a pestifero venenorum attactu. Sub ipso partu mortuarum ex improviso foeminarum exempla non desunt, et ex apoplexiis syderatas adduxit *Swietenius*; ubi sub vi dolorum, laborisque ad partum vehementioris impetu, rupta cerebri vasa sanguinem evomuerant, et lethalem apoplexiam produxerant. Aliquando vero protinus nervosae indolis esse in parturientibus hanc ultimam, du-

bium non est. Omnia vero docent, sub partu non parum caput ipsum affici, atque hinc non despiciendam prorsus esse hanc atrocium morborum sedem, ubi de febris puerperalis, inprimis malignae aut *nervosae* caussis investigatio incumbit. Jam dixi, febres *gastricas* raro tam cito lethales esse; sed neque uteri ipsius, magnae licet inflammationes tam cito saepe necant, ut jam primis aliquando morbi diebus, malignissimae febris adinstar, aegrotas abripiant. Ignoramus certe, quid sub quibusdam partubus tam violenter in uteri systema agat, tamque infelicem in vicinis visceribus consensum post se trahere possit; sed oportet aliquid esse, quod saepius nec gastricam, nec inflammatoriam originem agnoscat, et quod methodo communi, his febribus adaptata, nequaquam potest averti.

Jam adhuc superest, ut complures caussarum, quae producunt puerperales febres, recenseam. Huc pertinent lochia vel retenta, vel suppressa et corrupta; reliquiae secundinarum, et sanguinis grumi in utero relicti, qui putrescunt, sanguinisque massam inquinant; prava humorum conditio; colluvies omnis generis, primis viis

inhaerens; excretio alvina imminuta, aut diu retenta; metastasis lactea; animi affectus, in primis moeror et tristitia; regimen calidum, ante, vel post partum adhibitum; nimius lecti vel cubiculi calor; refrigerium; aër putridis effluviis infectus; constitutio epidemica; partus laboriosus, ac multae insuper aliae causae. Plerumque plures harum caussarum conveniunt, ad formandam febrem, ac omnium frequentissima, gastrica nimirum colluvies, raro abest.

Etsi diversissimae sint, quas hucusque protulimus, auctorum de febre puerperarum sententiae, cum quisque sua tantum de hoc morbo observata protulerit; id tamen inde justo ratiocinio deduci posse arbitror, febres nomine *puerperarum febris* descriptas, non unius generis febrium esse, neque una eademque methodo sanari. Ad sequentia autem capita haec lis forte poterit reduci.

1) Puerperium *excitans* solummodo morbi pandemici caussa est. Ipse enim jam partus naturalis labor, ut quaecunque alia oeconomiae animali illata violentia, morbum regnantem invitare poterit; quod eo certius evenit, si sub ipso graviditatis

 tem-

tempore sordes in primis viis collectae fuerint, aut rudis in ipso partus negotio obstetricis manus accesserit, aut alia dictae vitia, aër mephiticus; prava febris lacteae medela etc. puerperam afficiant.

2) Sed haec ipsa febris *excitata* diversae indolis esse observatur. Sic anno elapso, ait *Stollius a)*, circa autumni initium, dum adhuc febres aestivae biliosae observabantur, notavi uni ex puerperis supervenisse puerperarum febrim biliosae naturae; dum serius, circa hyemis initium, aliam viderim puerperam febre pariter laborantem, ast inflammatoriae indolis nempe febris cardinalis illius temporis erat. Hinc febris puerperarum inflammatoriae indolis est, ubi acri urente gelu, et flante borea sanguis dominatur, et orta inde inflammatoria dispositio *b*).

3) Saepius tamen gastricae originis est, eaque vel biliosam, vel putridam, aut pituitosam indolem sequitur. Cum enim foeminae in universum ob laxiorem corporis compagem, et sanguinem minus phlogisticum haud ita facile febribus inflammatoriis, quemadmodum viri solent, corripiantur, puerperae, quibus aliqua sangui-

guinis jactura sub partum, et post eundem contingit, corpore utpote debilitato, evacuatoque, liberiori humorum per vasa circuitu, omnium minime accuses, prae aliis ejusdem sexus non puerperis quamdam ab inflammationibus immunitatem jure possidebant c).

4) Nihilominus saepe putrida est saburralis, una cum alicujus visceris abdominalis, uti omenti, tubi intestinalis, mesenterii, uteri, ejusdemque appendicum inflammatione, ubi dolores abdominis absunt*, facile confundendi; differunt in eo, quod hi sint assidui, quod serius accedant, quod attactum non ferant, et quod de die in diem increscant. Subinde febris lactea cum altera hac jungitur, magno puerperarum discrimine, tuncque probe observandum, quaenam symtomata debeantur febri lacteae, quaenam febri puerperarum, item, quae sit ipsius febris natura, quod partim ex ipsa aegra, partim ex anni constitutione determinandum erit.

5) Non tamen mirari debemus, varias nervorum turbas in his febribus observari, quibus ipsius febris decursus non raro exlex redditur; si cogitemus, in foeminarum cor-

pus hunc morbum incidere, teneriori nervorum compage praeditum, et in spasmos proclivius; accedit quod et graviditatis, et puerperii tempore multae causae accedant, quibus nervorum systema magis debilitatur, ut vel a levioribus stimulis validissime irritetur.

6) In hac febre observantur abscessus, febri lacteae adscripti, in quibus non serum lactis, non lac coagulatum detegitur unquam, sed purulentam, vel biliosam, ichorosam plane materiam, uti in tumoribus metastasticis, vel inflammatoriae, vel biliosae, vel putridae febris videre est, ibi deprehendere observatoribus licuit. Ejusmodi abscessus non solum in puerperis, sed etiam in aliis foeminis, imo etiam in viris peritonitide laborantibus Ill. *Frankius* observavit. Ita enim habet.

In foemina non puerpera, ac in virgine innupta, hac peritonitidis specie laborantibus, abdomen circa umbilicum sponte apertum, plurimumque puriformis materiae effluxisse conspeximus; novimusque in puerperis aliquot hoc idem, non lethali in omnibus eventu, succesisse *d*)

In-

Inflammatio certe in nulla, quam huc usque secuimus puerpera, ad peritonaeum vel ejusdem appendices, nec purulenta unquam materies defuit; atque haec ipsa tam cito subsequebantur, ut pro aliorum effecta magis, quam causa, agnosci non queant *e*).

Febris haec, cum periculosissima saepe sit, in ea quidem praecavenda primariam medici curam consistere debere, quilibet intelligit.

Huic scopo satisfaciunt tempore graviditatis diaeta parcior, quoad maximam partem vegetabilis, motus institutus in aëre libero, poro somnus diuturnus scrupulose evitatus, alvus non durante solum graviditate, sed et puerperii tempore clismatibus fluida continuo servata. Ita febris biliosae epidemicae initia sub ultimo graviditatis tempore observavit *Stollius*. „Quaedam enim erroneo modo febriebant, et obscurius, alvo segni supra modum, ore immundo, muci pleno, non appetente. Dolor ad lumbos, et circa scrobiculum: mictus difficilis, frequens *f*).

Praesentis autem jam febris cura speciei morbi, si simplex fuerit, aut si complicata, urgentiori occurrendo symptomati, ut accommodetur, exigit.

Cum tantae plerumque strages febris puerperarum epidemicae observentur, optandum certe, ut remedium illud ex antimonio paratum, cujus salutares effectus Vir clarissimus, et artis obstetriciae in Nosocomio Vindobonensi Professor *Boer* g) expertus est, in communem humani generis utilitatem innotescat, et, quibusnam in casibus salutem puerperis adferat, repetitis Clinicorum experimentis confirmetur.

a) *Stoll* Diss. de morbis foeminarum. Diss. med. Voll. II. p. 98.
b) *Stoll* Rat. med. P. II. p. 63.
c) *Stoll* Libr. c. p. 63.
d) *Ill. Frank.* Epitome. Tom. II p. 193.
e) — — Lib. c. p. 204.
f) *Stoll* Rat. med. Pars II. p. 60.
g) Cel. *Boer.* Abhandlungen und Versuche Geburtsschicklichen Inhalts. Th. 2.

FEBRIS LENTA, HECTICA.

Ad Febres *lentae*, si durationem illorum consideres, ad *chronicas febres* dicendae sunt, cum in menses et annos etiam excurrat; si vero ad characterem ejus respicias, ad pituitosarum febrium indolem accedit, nam pari modo *indeterminatam*, et *symptomaticam* methodum exposcunt.

Sta-

Status febris hecticae, cum sese triplici prodat ratione, totidem quoque illa inde nomina est adepta, quibus diversi hujus febris gradus significantur, estque hectica.

1) *Inchoata*, dum nimirum primis morbi temporibus aegri symptomata ejus pauca, eaque levia citra manifestam corporis extenuationem (nisi forte haec jam ante effecta fuerit, ad quam tamen haud ita multi post secuturam corpus jam disponitur.

2) *Adulta*, dum jam et febris et macies manifesta adest, cum symptomatibus numero et intensitate adauctis.

3) *Consummata*, seu *marasmodes*, aut *hectica*, ubi nempe numerosa ac pessima jam symptomata cum extrema macie, seu vero marasmo praesto sunt, ita, ut aegri sicci aridique tandem sceleta pelle tantum induta repraesentent.

Potiora nunc symptomata ex graphica hujus febris descriptione, quam *Stollius* §. 794. dedit, seorsim consideremus.

1) *Decursus*. Principia febris hecticae plerumque ex occulto obrepunt, quae ob nimiam lenitatem ab aegris flocci penduntur, tenuesque id genus motus febriles le-

levibus causis sex rerum non naturalium imputantur, velut mox defituri, qui nihilo minus deinceps sibi semper similes aegrum detinent. „ Etenim febrium hecticarum, inquit *Galenus a)*, duo haec sunt praecipue signa, ut perpetuo sibi illae similes sint, nec invasionem ullam accessionis, nec incrementum, nec vigorem, nec remissionem habeant, sicque febricitare se non percipiat aegrotus. "

2) *Pulsus* autem tenuis, durus, ac debilis, et frequens est hecticis *Galeno b)* teste, qui a pastu semper magnitudinem ac velocitatem nanciscitur majorem. *Monet* nihilominus *Heberden c)*, pulsui, utut optimo hic signo, haud usque adeo esse fidendum: siquidem inter vicenos hecticos unum forte reperire sit, cujus in pulsibus toto morbi tempore ad mortis usque diem nullum observetur vitium.

3) *Calor* porro hecticus pathognomicum febris hujus signum constituit, cujus universa criteria *Galenus d)* ad amussim rimatus est, praecipua vero caloris hujus phaenomena sunt quatuor.

a) Exiguus enim est, collatus cum acutarum febrium calore, ac velut sub

ci-

cinere delitescens et gliscens, semper sui similis, et aequalis, sine exacerbatione ac remissione, nisi quam cibatio adfert, nec dolorem, nec aliam insignem molestiam aegris inferens: quae etiam ratio est, cur aegri sese febricitare haud sentiant.

b) Tactu exploratus, cum primum manus admovetur, debilis est, paulo post vero acredinem, atque erosionem quamdam ostendit, ac magis, cum plus tangendo immoraberis.

c) Manifestissimus tamen est in volis manuum, pedumque plantis; haec enim loca molestius calere hectici plerumque fatentur.

d) Exardescit vero una alterave post sumptum cibum hora, cum pulsu perinde facto et majore, et velociore, at citra ullam praeviam horripilationem.

4) *Excreta* in hecticis, etsi ad pernoscendum morbi statum praeteriri nequeant, multum tamen varietatis, atque adeo incertitudinis etiam praebent, antequam aegritudo novissimum attigerit gradum.

a) *Urina* magnopere variat, idque pro ratione causae, ac gradus morbi; nam si quod insigne concurrat stomachi vitium, tunc urina alba, pallida, crassa, et turbida subinde excernitur: cessante postmodum appetitu, et deficiente digestione urinae tenues et perspicuae, intense tinctae excerni solent *e*). Porro, ubi ex intermittente gravi aut diuturna febris hectica enascitur, urina haud raro tincta, cum lateritio sedimento excernitur *f*). Ceterum haud paucis hecticis per principia urinae *sunt*, quales in sanitate, ut in *Schelhameri g*) viro, et *Schulzii* cholerico *h*). Nonnullis lotium ardet, ut *Hoffmanni* cholerico *i*); parce aliis procedit, ut nobili viro *Büchneri k*), aut supprimitur, ut H*ildebbrandi* aegrotae. Tandem hectica postmodum ad marasmum progrediente, inquit *Ettmüller m*), urina progredi solet copiosa, intense tincta, sed in superficie crusta quasi oleaginosa, id est pinguedo aranearum telis similis, ipsi supernatat.

b)

b) Alvus morbi initio utplurimum est segnis et adstricta; enimvero foeces quandoque sunt durae, ait *Ettmüllerus*, imo saepius in principio ac incremento hecticae interdum difficulter egeruntur; postmodum vero fiunt admodum liquidae, et redduntur copiosae, dum nempe stomachus omnino labefactatus, nec rite continet, nec debite concoquit assumpta. In ultimo hecticae gradu fluxus alvi vere est continuus, quae omnium pessima est. Unde magis magisque corpus emaciatur, ut isto alvi fluxu utplurimum hectici intereant.

c) *Sudores* autem hecticis sunt perquam familiares, iique crebri, debilitantes, partiales, ac vel maxime maciem accersentes. Potissimum vero noctu oboriri solent, quo tempore febricula vespertina solvitur sine ullo levamine.

a) *Galen.* De praesag. ex pulsibus. L. 3. c. 3.
b) *Galen.* Lib. c.
c) *Heberden.* Abhandl. von London. 2. B. p. 4.
d) *Galen.* De differentia febrium.

e) *Ettmüller*. Op.

f) *Burgius*. Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 9. obs. 158.

g) *Sebelham*. Mis. n. c. dec. 3. ann. obs. 83.

h) *Schulz*. Diss. sistens casus aliquot notabiles aegrot. mente alienatos. Cas. 3. p. 12. Halae 1737. Resp. *Brunt*.

i) Fr. *Hoffmann*. Med. Rat. syst.

k) *Büchner*. Diss. de scirrho mesenterii exulcerato. Halae 1736. In Halleri. Disput. ad morborum historiam et curat. facient. T. 7. p. 697.

l) *Hildebbrand*. Nov. Act. N. C. T. II. obs. 97.

m) *Ettmüller*. Libr. cit.

5) *Appetentia*. Hecticis adultae aetatis plerumque perit; at junioribus, ac teneris praesertim, ob viscerum abdominalium infarctum, non modo integra saepe est, sed interdum auctior etiam.

6) *Sitis* anorexiae plerumque comes, hecticam quoque anorexia stipatam utplurimum comitatur, cujus utique complures adsunt causae, videlicet febrilis calor, siccitas, humorum ob hecticos sudores, aquosa parte orbatorum, spissitudo et acrimonia.

7) *Respiratio*. Asthma, dyspnoea, orthopnoea, queis interdum vel bronchiorum fervor, vel vox rauca et clangosa copulatur. Ea enim est febris hecticae indoles, ut viscera vitalia, imprimis pulmones, aut reperiat in adventu suo labe affecta, aut

ea

ea non diu sinat manere integra. *Tussis* quoque saepenumero sese hecticae febri associare solet, eaque vel idiopathica, vel sympathica, vel sicca, vel humida.

8) *Irae morositasve* familiares perinde febris hecticae pedissequae esse consueverunt, licet pauci id adnotarint scriptores praeter *Sthalium* a), qui hecticos ad iram pronos esse disserte observat.

9) *Debilitas* virium ac languor membrorum pro febris magnitudine et natura causae hecticam inducentis majore minoreve in gradu semper obtinent; haud enim diu vires in hecticis consistere possunt, ut quas anorexia, spiratio laboriosa, tussis, profusi sudores etc. sensim ad incitas redigunt. Debilitas enim cum ipso morbo ita pededentim invalescit, ut demum hectici vix sese commovere, vix loqui valeant.

10) *Habitus* corporis denique est perlustrandus, ex quo vel maxime magnitudinem hecticae metiri licet. In hac praesertim spectatur.

a) *Macies* pedetentim invalescens, nil nisi cutem et ossa aegro relinquens, tanquam princeps hecticae phaeno-

menon; nec abs re, cum tot ejus causae hac in morbo praesto sint. Unde corporis marcor continenter crescit, quoad evidens consequatur marasmus cum *Hippocratica* facie, cui non multo inde post, mors supervenit. Huic vero hecticae maciei

b) *Ariditas* oris cutisque individuus comes est: unde cutis tam dura evadit, ut corium membranam pergamenam, arboreumve corticem aemuletur *b*).

c) *Color* porro faciei ac reliqui corporis perinde notatu haud indignus est. Quantum ad universi corporis colorem attinet, luridus hic, et omni nota cachecticus est, cum squalore insigni. Facies vero id simul peculiare habet, quod increscente a pastu febrili colore erubescat cum aestu. Nam teste *Sthalio* faciei phlogosis ac rubor post pastum auctus, praecipuum hecticae symptoma est *c*).

a) *Sthal.* Diss. de hectica febre. Halae 1705. §. 4.

b) *Schulze.* Diss. de febre lenta et hectica. Et *Morgagni* de sedibus et caussis morborum Epist. 49. n. 17.

c) *Sthal.* Diss. de hectica febre. §. 21.

Id

Id adhuc de febris hecticae decursu *Stollius* adnotat: principia febris hecticae non raro ejusmodo esse, ut aliam quamvis febrem, quam febrem hecticam futuram ominemur, dum sub habitu vel continentis acutae, vel remittentis, vel intermittentis, vel ephemerae etiam ingruit. Vidit eam *Heberden* a) more acutae inflammatoriae ingruentem, deinceps remisisse et lento, ut solet pede perexisse.

a) *Heberden* Medicinalische Abhandlungen in London B. 2. p. 4. *Trnka* Historia febris hect. p. 9.

I. *Classis* causarum f g. *A causa varia irritante assidue applicata.* Ita ab ulceribus viscerium lenta, tabisica febris oritur. Acre syphiliticum, *Riedlinus* meminit studiosi, qui syphiltidem contractam occultans, toto sensim corpore ita consumptus fuit, ut pro desperato hectico a medicis etiam illustribus haberetur; donec patefacta mali causa idoneis adhibitis remediis pristinam recepit sanitatem *a*).

Ita quoque ab acri arthritico, scrophuloso hecticas febres etiam oriri observamus. Huc quoque venena metallica pertinent. Nullum pene remedium promptius

 ad

ad hecticam ducere, quam internum mercurii sublimati usum, si is sensibilioribus aegris non satis circumspecte praebeatur, *Fournier b*) narrat. Metastasis quoque acris morbificae materiae. A podagra retropressa febrem hecticam *Whyt c*) observavit. *Gohlius d*) atrophia cum febre, abdominisque duritie tres puellas laborantes tractavit, ex quibus una quinque annorum ex achoribus et scabie retropulsa cum tali affectu nimis jam tum invalescente, diutius conflictata est, eoque mortua.

a) *Riedlinus*. med. annus. 4. p. 743.

b) *Fournier* Beobachtungen über das schleichende Fieber.

c) *Whyt* an Nervenkrankheiten.

d) *Gohlius* Acta med. Berolin. Sec. I. Vol. 4. p. 54.

II *Secunda* causarum classis eas res comprehendit, quae viscerum vasa obstruunt, liquida coagulant, solida constringunt. Huc pertinent alimenta dyspepta, potus spirituosi, vini praesertim adusti abusus; venena adstringentia, ex plumbo praecipue parata.

Tertia classis multiplices causas continet, quae viscerum tum in thorace, tum in abdomine contentorum obstructiones, effi-

efficiunt, illorumque functiones vario modo turbant. Hinc ab infarcto hepate, mesenterio, a scirrho pylori; ventriculi, a pravo situ viscerum chylopoieticorum, praesertim ventriculi, insanabiles plerumque febres hecticae oriuntur.

4) *Quarta* classe omnia illa comprehenduntur, quae ob diuturnam et validam systematis nervei irritationem, in lentas tandem febres homines conjiciunt. Ita *Galenus* a) eam ab ira, vel moerore oriri pronunciavit. *Foresti* b), opiarius dives, niger, macer, procerus e melancholia primum, tum vehementi diutiusque moerore in hecticam incidit, per principia ephemerae similem, a qua idonea methodo convaluit.

a) *Galen.* de praesag. ex puls.
b) *Forest.* l. c. obs. 2.

5) *Quinta*, eaque amplisima classis, eas febrium hecticarum causas continet, quae ab humorum jactura originem trahunt.

a) *Jactura sanguinis.* Ita hectica ex nimiis mensibus; *Griffthii* mulier a), ex uteri haemorrhagia Pensionarii

uxor apud *Forestum b*), puerpera *Hoffmanni c*) contraxere.

b) *Seri*, *Lymphae*. Ita chirurgiae studiosum ab ulceribus ubertim pus praebentibus, hecticum vidit *Raulin d*). *Weikardi* matronae hecticam levcorrhaea causavit; *Grifftbii e*) seri diabetes eandem attulit. A sudoribus profusis illam duabus in sexagenariis ortam vidit *Mortonus f*); in puero autem a dysenteria. Hypercatharsin secuta est in medicinae studioso *Borelli g*).

c) Huc etiam pertinet febris hectica a nimia salivae, succi oesophagei, gastrici, et enterici profusione.

d) Immoderata *seminis* profusio crebris vel onaniis, vel coitibus procurata impuris spumosae veneris aluminis hecticam ac tabem dorsalem consciscit

e) Chyli e corpore, suisve conceptaculis aliosum evacuatis, qualis in coeliaca passione, diabete *h*) chyloso, vel organorum chylum vehentium laesionibus accidit.

f) *Lactis* demum profusio febrim hecticam non raro invitat. Ita *Muralti*

foe-

foeminae *i*) et *Tissoti* *k*) plebejae lactatio hecticam febrem acceleravit.

a) *Griffth.* Samml. auserl. Ab. B. 6.
b) *Forest.* L. c obs. 9.
c) *Fr. Hoffmann.* opp. T. VI. p. 298.
d) *Raulin.* l. c.
e) *Griffth.* l. c.
f) *Mortan.* L. c. L. I
g) *Borell* Hist ut obs. med. cent. 2 obs. 64.
h) *Trnka* de diabete.
i) *Muralt.* Misc. N c. V. c. 2. ann. 1 obs. 109.
k) *Tissot.* Epist. ad Hall. in app.

Sed febres etiam acutae imperfecte judicatae febrium hecticarum causae existunt.

1) A febre *inflammatoria* male sanata. Ita *Markmülleri* vetula ex peripneumonia non judicata, et *Riedlini* opifex a pleuritidis reliquiis in hecticam inciderunt.

2) A febribus *biliosis* ut plurimum hecticas oriri, *Galenus* observavit. Idem *Rieglerus* vidit: „ ex febre biliosa putrida multi reconvalescentes ad pristinas vires redire non potuerunt; nam post pastum, et vespertino tempore de calore acri, mordace, volatico, potissimum in volis manuum sunt conquesti, sudor viscidus volas manuum et frontem occupavit, genae ro-

seae erant; pulsus celer, frequens, debilis; urina erat aurantii coloris, cum cuticula pingui; tussis sicca eos excruciabat, totum corpus adeo emaciabatur, ut dein verum sceletum repraesentarent, sicque accedente diarrhaea, aut sudore colliquativo, mundo ultimum vale dixerunt."

3) A febribus hinc etiam *putridis* male sanatis aut judicatis hectica febris sequitur.

4) Intermittentes diuturnae, vel crebrae, vel male tractatae, vel perperam suppressae, longe saepius, quam atiae quaecunque febres, in hecticam transire observantur.

5) Idem etiam a febribus erysipelatosis, rheumaticis, arthriticis evenire solet.

6) Variolosi morbi pedissequa non raro hectica febris est, purgantibus praesertim neglectis, et reliquiis materiae variolosa per varia corporis colatoria non eductis.

7) Materies quoque morbillosa, in pulmonibus praecipue residua, hecticorum febrem, phthisinque inducit.

Spes, morbum posse sanari, his fere continetur,

1) Si

1) Si suus adhuc visceribus robur constiterit. Hinc appetitus non multum imminutus, atque reliqua digestionis et chylificationis officia non nimis a sanitate recedentia, spem faciunt sanationis.

2) Vis vitae adhuc vegeta, ex pulsu potissimum dijudicanda. Fractis enim jam vitae viribus si hectica accedit, cum nempe praedebilitatus homo in hecticam febrim incidat, nulla salutis spes superest.

3) Si causa, quae morbum produxit, nunc absens est. Ea enim praesente nova continuo morbi incrementa addi necesse est.

4) Si in ullo morbo, certe in hectica febre persananda, medico opus est sagacissimo, et aegro ad medici consilia maxime obsequioso. Oportet enim medicum accuratissime inquirere, quae causa antecedens, quis morbus praegressus, vel comes, hecticam febrem fovens, fuerit.

5) Insanabile prorsus malum est, si causa morbi auferri non potest; utpote in pure viscere aliquo concluso, per artem non evacuando, scirrho visceris magno, non resolvendo; viribus exhaustis.

6) *Lethalia* prorsus hecticae non curandae indicia ut plurimum esse solent marasmus

mns cum *Hippocratica* facie, diarrhaea colliquativa, dysenteria; oedema pedum.

Curationis methodus in genere triplex est, pro varia scilicet hujus ipsius febris hecticae, et causarum, unde oritur indole.

1) *Methodus generalis, indeterminata, symptomatica*, quam tunc adhibere oportet, si causa genitrix febris hecticae nos latet, aut causam immediate oppugnàre non licet.

2) *Methodus singularis*, cognita scilicet febris indole, aut ejus similitudine cum alia quadam febre cardinali.

3) *Specifica* quasi, experientia confirmata methodus. Ita e. g. in febre hectica tussim convulsivam puerorum sequente, decoctum limacum hortensium febri huic hecticae egregie medetur.

Ex hucusque dictis sequentes curandae hecticae febris regulae intelliguntur.

a) Si phlogistica diathesis subsit (803. a.), methodus antiphlogistica febris, symptomatibus et aegri viribus respondens indicatur. Locum vero venae sectio vel maxime habet per principia morbi, et ubi solemnis sanguinis evacuatio non facta febrem hanc

hanc accivit. Hinc quemadmodum v. s. in hecticis tempestive facta, teste *Sthalio a*), perquam est utilis, et medicationem reddit multo faciliorem: ita, ubi conclamata jam pene re instituitur, non potest non infeliciter cedere. „ Ego, ait *Galenus b*), cuidam mulierculae jam 8. menses purgationis menstruae suppressione laboranti, extenuatissima cum esset, haud exiguo detracto sanguine, brevissimo tempore habitum restitui: sicut et alias non paucas eodem modo ad sanitatem reduxi. " Similem quoque successum res nacta est in casu *Zacuti c)*: „ Quidam 30mo aetatis anno constitutus, hirsutus et niger, affectu mirachiali diu corripitur, pro cujus curatione medici varia, sed frustra machinati sunt auxilia, quousque temporis processu excarnis, et velut tabefactus ad summam cum febri redactus est maciem. Illi ad reserandas obstructiones apozemata aperientia parant, serum lactis multiplici medicamentorum sylva prae-

pa-

paratum, cardiaca et roborantia, et calybeata medicamenta propinant: quibus cum nihil proficeret, me vocant. Huic cum venae turgerent nigro sanguine plenae, primo accessu, ne copiosiori facta vacuatione vires dejicerem, ad levandam plenitudinem melancholicam hirudines mariscis affigendas curo. Hac evacuatione celebrata, cum pulsus, qui antea erat pusillus, esset robustior factus, ter basilicae sectionem reiterandam jussi. Tunc pulsus firmior est factus, aeger alacrior redditus, et detracto sanguine nigerrimo a febri immunis ad pristinam redactus est sanitatem. "

a) *Sthal.* Collegium casuale magnum. Cas 29. p. 349.
b) *Galen.* In Hippocrat. Epid. L. 6. Comment. 3.
c) *Zacut. Lusitan.* L. 3. Obs. 4.

b) Diluentia, solventia, leniter alvum ducentia indicantur, si status 803. (b. c. d. g.) obtinet. Tabem ex febre biliosa ortam *Stollius a*) observavit: „ Tabis originem febris biliosa dedit, mensibus biliosis hominem aggressa, quae morbificae ma-

te-

teriae portionem pulmonibus infigebat, inde posthac non extricandam. Ea metastasis tusses assiduas fecit, multum exagitantes, laxo corpori valdopere nocivas, et quae sanguinem subinde extundebant. Non interruptus intra thoracem continuo sollicitatum pravorum succorum affluxus, infarctus, compagis solutio, ulceratio pulmonem, et universum denique corpus pessumdederunt. Quibusdam febris biliosa nil vitiosae materiae ad pulmones rejecit, sed eos solum per consensum affecit, ventriculo causam morbificam continente. Haec tussis stomachica, febris biliosae comes, curata methodo non sua, phlebotomiis, emollientibus, oleosis, assiduo pulmones succussu labefectavit, eandemque sero tandem ruinam intulit, quam ante dixi, a biliosa metastasi evenisse. — Intermittentium febrium, quarum nulla, aut inepta curatio fuit, ea in tabem conversio non rarissime occurrebat. Neque valida febre opus erat, ut inde ta-

bes

bes nasceretur; suffecerat huic pravo partui vel lenior febricula biliosa, vel sola id genus praedispositio. — Ægritudinis initia saepenumero fortunate repressi saturato radicum graminis et taraxaci, et demum islandici lichenis decocto. Dubito, an morbum curaverim invalescentem, et confirmatum: inveteratum sanavi nunquam, utut non unum in medendo consilium executus; diaetam lacteam sic tabescentibus nunquam injunxi; injunctam ab aliis vidi, sed eventu non bono: rebusque illico in pejus ruentibus, abstinendum denuo a lacte fuerat. "

a) *Stoll.* Rat. med. Pars II. p. 312.

Cum enim omnis cura in eo sit, ut stagnans in visceribus materies biliformis solvatur, moveatur, et ad primas vias determinetur, et e corpore eliminetur, tamarindinata, mannata, salibus mediis acuata, aquae itidem soteriae id efficiunt; ut materia morbosa e corpore ejiciatur; quo demum facto, viribus ventriculi coctricibus medicamentis roborantibus prospicere oportet.

c)

c) Si a reliquiis materiae variolosae febris hectica oriatur, primo ulceribus artificialibus pus ad partem alicubi incumbentem oportet educere; at simul etiam sanguinem acri hac materia repletum demulcentibus remediis contra nocivam acrimoniam tueri. Frequenter sane inter posthumos variolarum morbos, febris hectica occurrit, quae a neglectis potissimum evacuationibus originem trahit *a*). Inter haec remedia lac cum aquis soteriis, serum lactis cum herbis saguinem depurantibus permixtum, aut hydrogala primum locum obtinent. Tandem roborantia remedia praescribenda sunt.

a) Cl. *de Sallaba.* De morbis variolarum posthumis.

d) Eadem methodus medendi febri haecticae indicatur, si is morbus a materia acri morbillosa in corpore retenta oriatur. Finito morbillorum decursu, ait *Brendelius a*), consuetum erit subjungere usum seri lactis, vel acidularum selteranarum, de-

decoctorumve pectoralium cum lacte, adjecto etiam cortice. "

a) Brendel. Praelect. Tom. I. p. 314.

e) Si autem pathemata animi tristia, curae edaces, aut studia nimiam nervorum sensibilitatem, et virium coctricium debilitatem induxerint, sequenti methodo febri hecticae ex his causis progenitae occurrendum est.

1) Omnia illa objecta removenda sunt, quae affectum animi tristem fovere possunt. Hinc mentis tranquillitas animique hilaritas est consectanda ac tuenda, fugiendo curas, negotia, lites, dandoque se amicorum coetibus, jucundis oculos spectaculis pascendo, musicis aures mulcendo concentibus, peregrinando, rusticando.

2) Cum autem ab his causis bilis secretio mirae turbari soleat, atque varii ab acri polycholia effectus morbosi oriantur, oportet hosce acres stimulos diluere, ad colatoria corporis avocare, et e corpore aptis remediis eliminare. Inter quae remedia aquae soteriae, tamarindinata, mannata, salia media, serum lactis, lac ebutyratum, principem locum obtinent.

3) Diaeta, ait *Riverius*, ut in omnibus chronicis affectibus multum potest, in hoc praesertim plus praestat, quam medicamenta. Illa idcirco exacte praecipienda est, ut scilicet ad totius corporis, ut scilicet ad totius corporis refrigerationem et humectationem dirigatur. Cibus autem hecticis praebendus duas habeat dotes oportet, nimirum *nutrientes*, et *medicatas*. Quantum ad priorem attinet dotem, illa hujusmodi esculenta exigit, quae minimas requirat viscerum chylopoieticorum vires ad sui transmutationem in chylum et optimum, et uberiorem. Medicatas autem habebit vires, si fuerit refrigerans, humectans, demulcens, bilis acredinem temperans, ejusque copiam detrahens. Hinc cremores hordei, oryzae; fructus horaei; carnes quadrupedum, vel altilium tenerae. Vino denique dulci, at parca dosi assumpto vires coctrices leniter excitandae sunt.

4) His demum peractis, de minuenda nervorum sensilitate nimia, et virium coctricium restauratione cogitandum est. Amplissima huic indicationi roborantium medicamentorum classis inservit. Hinc stomachica varii generis, amara, spirituosa,

e. g. quassia, essentia corticis chascharillae, elixirium stomachicum *Hoffmanni*, martialia, ante omnia autem cortex peruvianus in usum vocanda sunt. Frigida quoque interdum balnea hecticis interdum fuere saluti; imprimis vero tunc prodesse solent, ubi hectica ex intermittente ortum duxit.

f) Si autem ex nimia humorum jactura originem habet febris hectica, tunc primum nutrientia, incrassantia adhibenda sunt, dein vero de virium coctricium, et nervorum robore restituendo cogitandum est.

Ex hucusque dictis facile intelligitur remediorum quorumdam in sananda febre hectica, efficacia. Atque

1) Curiis, qui a venenis, lue venerea, alvi fluxu diuturno emaciatissimi, febre hectica, eaque fere insensili, laborant, summa tamen nervorum mobilitate mulctantur, lac admodum proficuum sit; cum acres stimulos involvat, et partes spasmis contractas emolliat. At de usu lactis in febre hectica generatim sequentia notanda sunt.

Contradicant autem lactis usum. *a*)

α) *Subjecta* hypochondriaca, vino dedita, et vel ob stomachum debilem, vel ob peculiarem idiosyncrasiam lac non ferentia. Sunt enim, qui lac a natura penitus aversantur. Notavi etiam, quod qui dictae vinosae dediti cerevisiam largius potant, lac commode ferre nequeant. Neque lac accommodum est hypochondriacis *b*). Qui vero debili stomacho illud hauriunt, si in collostrum abeat, vomitus, aliaque symptomata parit.

β) *Causae* morbi non nullae, praesertim viscerum scirrhi et ulcera; quia aut inutile est lac, aut noxium etiam ex id genus causis hectica laborantibus. Id extra dubitationis aleam positum est, inquiunt *Vratislavienses* medici *c*), quod quando pulmones duri, scirrhosi, ac tuberculis referti sunt, lac juvare non possit: hujus rei exemplum d. d. *Preussius* et *Helwich* in viro cholericae constitutionis post pertinacissimam alvi obstrustionem a medicastro et veterinario quodam drastico medicamento solutam, in abscessum in regione thoracis incidente, ac post illud consolidatum, contabescente oblatum fuit. Nam postquam is variis remediis, et imprimis etiam

 de-

decoctis lignorum cum majori damno, quam emolumento usus esset, ac nihil aliud restaret, ad lac confugit. Et ut tanto liberius huic curae vacare posset, auram Vratislaviensem cum rurali amoeniori mutavit. At vero sine ullo fructu illud bibit, propter male affectos pulmones, quod ex gravi, et anhela etiam in leviori corporis motu, eo quod dura pulmonis apostemata dilatationem impedirent, respiratione cognoscere licebat; atque ita brevi post fato concessit. Idem est de internis ulceribus; nisi forte levissima illa sint, eaque primis in viis: tunc enim monente *Fr. Hoffmanno d*), curatio sola demulcentia, et roborantia poscit. Ego, inquit ille, aliquoties decoctum lactis cum ligni sassafras, et cascarillae cortice, aut floribus chamomillae et summitatibus millefolii, quotidie ad mensuram potum profuisse novi. Tum quoque radices altheae, et juscula cum oryza et lacte decocta proficiunt, tragacantha etiam cum aqua menthae soluta. Conducunt praeterea clysteres ex lacte cum vitello ovi, therebinthina et melle, aut alii emollientes, cum syrupo de altheaea *Fernelii*.

γ) *Symptomata* varie praesentia, vel maxime tamen hypochondria inflata, cephalalgia; et putrida febris vehemens. Nam *Hippocrates e*) „ lac exhibere (ait) capite dolentibus malum, et quibus praecordia sublata murmurant, et siticulosis. Malae quoque, et quibus biliosae sunt dejectiones, quique febre acuta laborant, et quibus copiosa sanguinis dejectio facta est. At tabidis lac dare convenit, non valde admodum febricitantibus, et in febribus longis et languidis, dum nullum ex supra memoratis signis adfuerit, et praeter rationem extenuatis.

a) *Trnka* Hiſt. febris hectic. p. 368.
b) *Fr. Hoffmann.* Medicin. rat. ſyſtemat curat. §. 12.
c) Hiſtoria morborum *Vratislaviens.* A. 1699. p. 101.
d) *Fr. Hoffmann.* Libr. c. curat. §. 4.
Hippocrates Sect. 5. aphor. 64.

Ubi ergo isthaec abſuerint, lac toto exhiberi potest. Verum enim vero tum etiam, ubi dandum est, illud non sine omni circumspectione praebere oportet; quapropter circa ejus usum *cautelae* sequentes apprime erunt observandae, videlicet.

α) *Eccoproticum* lactis usui praemittendum esse monet *F. Hoffmannus*; ne forte di-

luendo putridam primarum viarum amurcam illam secum in humores vehat, vel ab acido obvio coagalatum novas in corpore turbas (v. g. nauseas, vomitus, singultum, etc.) creet.

β) *Jejuno stomacho* (mane proinde, et deinceps 4—5. a pastu horis, post perfectam nempe jam digestionem) bibendum, ut purum et omne resorbeatur, idque vel sincerum, vel idoneis remediis alteratum,

γ) *Lac* sincerum esto calidum, ab uberibus mulctum suctumve, saccharo tamen aut melle, ne in stomacho cogatur, edulcoratum, ab animali non nimis vetulo, et medicatis prius herbis pasto.

δ) Dosis lactis ita constituenda est, ut ab aliquot unciis inchoando sensim ad libras IV. ascendatur.

ε) *Acida*, *acescentia* omnia, aut quaecunque lac in ventriculo coagulare valent, sub ejus usu vitanda sunt. Ipsum plane panem fermentatum vetat F. *Hoffmannus*.

ζ) Qui *feratur lac* ab aegro, diligenter videndum. Etenim vero, si nihil inde vel in pulsu vitii, vel turbarum in stomacho acciderit, imo cum euphuria bibatur, ejus in usu pergendum, sin contra quid eveniat, lac non bene ferri existimandum.

2) Decoctum radicis salab, utpote mucilaginosum medicamentum, acrimoniam involvit, et partes strictas laxat; neque febrim, ut lac, accendit. Idem remedium post tussim convulsivam, acrioribus adhuc particulis pulmonem vellicantibus eximii usus est. Huc quoque cochlearum succus, decoctum pertinet, quod ita paratur. Nempe cochleae diffractis testis, in rarae texturae saccum, aut rete tenuius, ne transeant, inditae, loco frigidiusculo suspenduntur, ut lentus earum succus mucaginosus exstillet, cui s. q. collecto admiscendus tenuis pulvis sacchari q. s. Miscela igne lento evaporatur ad justam spissitudinem, formandis inde trochiscis idoneam, siccoque dein loco asservandis. Hi, dum uti iis oportet, vel ore tenendi sunt, ut difluentes sensim linctus instar deglutiantur, vel in lacte soluti bibendi. Egenis interea, vel stomacho valente praeditis cochleae ipsae edendae praeberi possunt; debilioribus vero meracum earum decoctum potui serviet.

3) A dentitione difficili superata, solidorum debilitas, et morbida nervorum

sensilitas remanet, cortice peruviano tollenda.

4) Diluens quoque, involvens, et emolliens remediorum ex jusculis viperarum, ranarum, testudinum, paratorum victus, tunc potissimum huic morbo recte opponitur, si febris hectica ab acri scropholoso, herpetico etc. ortum traxit.

5) Quanta autem sit tempestatum in hunc morbum potestas Fr. *Hoffmannus* accurate observavit *a)*: „ Praeprimis autem diaeta sollicite in *autumno* et *aequinoctiis* est observanda; qui enim febribus hecticis detinentur, autumno semper pejus habent, ob languidiorem naturae in actis secretoriis et depuratoriis virtutem; quin quia circa aequinoctia ordinario subito insalubres fiunt aëris et coeli mutationes, plerumque tunc non modo gravius aegrotant, sed et decedunt hectici incurabiles. Igitur necessarium est, ut circa haec tempora exactam victus servent rationem, animum tranquillum habeant, aëris injurias vitent, et a medico quoque consilium petant. "

a) Fr. *Hoffmann.* Med. rat. sist. de phthis. curat. §. 17.

PHTHI-

PHTHISIS PULMONALIS

In explicandis *Stollii* nostri, de phthisi pulmonali aphorismis, per summa tantum capita nunc incedam, cum proxime in peculiari opere uberior de hoc morbo sermo mihi habendus sit *a*).

Cum autem phthisis pulmonalis ab haemoptoe, indeque subsequa pulmonum suppuratione oriatur, triplex causarum classis, quae haemoptoen accelerant, a *Stollio* constituitur,

I. *Haereditaria* datur quaedam *dispositio* ad morbos pectoris inflammatorios, haemoptoen praecipue a diathesi sanguinis phlogistica, ab *Hippocrate b*) jam, aliisque cum antiquioribus, tum recentioribus medicis, notata. De hac ad phthisin dispositione cum in praelectionibus in morbos chronicos, tum in commentariis, ubi de peripneumonia et pleuritide latente agebatur, abunde dictum est.

II. Viscerum chilopoiesi inservientium, et ipsorum pulmonum debilitas. Ubi enim viscera debiliora muneribus suis non sufficiunt, degenerabunt a naturali dote liquida per haec viscera secreta, chylus

erit

erit crudior, viscidior, imo et saepe acrior. Pulmo autem magis afficitur, et citius, quam reliqua viscera, quia degenerans talis chylus, simul ac sanguini mistus est, statim per pulmonem transire debent, adeoque hoc viscus primam noxam sentiet. Unde et haec videtur causa esse, quare in Anglia frequens phthisis; cum validissimis cibis, et meraco potu utantur, minusque delectentur cibo vegetabili. Febricula post pastum exorta viscerum conditionis index est.

III. Sed sanis quandoque pulmonibus, prima phthiseos initia a morbida *viscerum abdominalium* conditione sensim exoriuntur. Videmus enim quotidie, et in hac praecipue urbe, homines laute pastos, et si ex facie rubicunda sanitatem arguas, sanissimos, nihilominus in phthisin pulmonalem incidere. Id praesertim in obstructionibus viscerum abdominalium atrabilariis, hepate praesertim obstructo, solet contingere. Unde *Benedictus* c) recte observat: „magis periclitantur pulmones a pressura per denegatam hepatis percolationem, quam a regurgitatione ab infarctis lienis vasculis."

Prae-

Praesente tali systematis arteriosi, pulmonum, et viscerum abdominalium, facile homines phthisi corripiuntur, accedentibus causis excitantibus, quas in tres classes auctor digessit.

a) Evacuationes quaecunque suppressae, praecipue sanguineae.

b) Violentia pulmonibus illata.

c) Acrimoniae per sanguinem oberrantes.

Curatio omnium phthisium una quidem est, communibus nixa observationibus, ulcus abstergendi, ut consolidari naturae ope possit, corpus nutriendi, febri occurrendi per medicamenta temperantia, symptomatibus etiam, quae sub ipsa phthisi occurrere vario tempore solent, occurrendi. Sed et indicationes istae pro diverso morbi tempore saepe summo egent judicio, et delectus medicamentorum, quae hic omnino multa et varia sunt, pro morbi tempore, pro ejusque facultatibus, aliisque ejusmodi conditionibus prudenter seligenda *d)*.

Remedia autem, quibus phthisis sananda est, in sequentes classes distribuit *e)*.

α) *Methodus* nutriens, quae consistit in eo, ut exhibeamus talia aegro, quae facile a ventriculo digeri, et in bonum chylum ac sanguinem mutari possunt. Lac ejusque serum; carnes tenuiores; ranarum, viperarum juscula etc. hordeum, avena, oryza, indeque parati cremores. Convenit haec methodus, si acre quoddam pulmonibus incumbit, atque modica tantum suppuratione, et exigua febre.

β) *Methodus antiphlogistica.* Haec methodus convenit in phthisi inflammatoria, dum una particula pulmonum post alteram in suppurationem abit. Convenit in phthisi tuberculosa; etsi enim tubercula jamjam pus fundant, margines tamen illorum, ut cadaverum sectiones ostendunt, vehementer inflammati deprehenduntur. Hinc v. s. parva, frequenter iterata, decoctum altheae, salap, serum lactis, emulsiones amygdalinae. Egregie de venae sectionis usu *Brendelius f*) sentit. „De venae sectione notandum, permagni illam dextre applicatam ad minuendam febrim, et ulceris inflammationem, spiritumque difficilem, hic esse, quin in peripneumoniis symptomaticis plane necessariam. Inter-

terdum protinus inter initia curationis, interdum paulo post necessaria erit, quin et repetita, praesertim, si respiratio difficilis minari videatur. Erit sanguis plerumque inflammatorius. "

γ) *Methodus resolvens* utitur saponibus vegetabilibus et nativis, aut artefactis; succos nempe recentes taraxaci, beccabungae, aquas selteranas cum et sine lacte. Prodest haec methodus in phthisi scrophulosa, post febres intermittentes, post tusses stomachicas neglectas, ab infarctu viscerum abdominalium, et ipsius pulmonis pituitoso.

δ) *Methodus evacuans. Emetica* conducunt in phthisi orta a saburra biliosa, pituitosaque neglecta, traductaque ad secundas vias, et ad pulmones recumbente. Saepius autem melius agitur, si primas vias per *rhabarberina*, per serum lactis tamarindinatum, similiaque expurgamus.

ε) *Methodus balsamica et detergens* in eo consistit, ut aegro aut balsama nativa, aut herbas, cortices, et ligna balsamica propinemus. Haec methodus quoque in usum trahit aquam picis. Prodest in tabe incipiente ab acri scabioso, herpetico etc. humorum massam inquinante.

ζ) *Methodus roborans*, quo praecipue usus corticis peruviani, exercitationes corporis, equitatio, balnea frigida, fumi aromatici, vinum, martialia, lichen, polygala, aër campestris, etc. pertinent. Nocet certe cortex peruvianus, et equitatio, et vinum, et polygala, et lichen in statu phthiseos inflammatorio. Nemo enim haec remedia serio antiphlogistica dixerit. At in aliis spuriis phthiseos speciebus haec remedia summi quandoque usus esse, nemo negabit *g*).

a) In vernacula traductione libri egregii Cl. *Canella* Italico idiomate editi. *Osservazioni intorno le cagioni, la natura, e la cura della pulmonar tisichezza. Verona* 1739.

b) *Hipp.* Coac.

c) *Benedictus.* Theatrum tabidorum. p. 107.

d) *Brendel.* Praelect. p.

e) *Stoll.* Praelect. Tom. II.

Pauer. Diss. de phthisi. Diss. Vindob. Tom. III. p. 66.

f) *Brendel.* Praelect. Tom. I.

g) *Morton.* De phthisi.

Cl. *Saehtleben.* Medicina clinica.

ELEN-

SYNOPSIS.

CALOR FEBRILIS.

Phaenomena calorem febrilem comitantia.
Causae caloris.
Effectus caloris.
Methodus medendi ratione causarum diversa.
Axiomata semiotica.

DELIRIUM FEBRILE.

Dolor capitis.
idiopaticus.
consensualis.
Praesagia ex capitis dolore.
Curatio.
Delirium febrile.
Varia deliriorum genera.
Signa delirii imminentis.
Causae delirii.
Cura.

CONVULSIO FEBRILIS.

Cognatio convulsionum et affectuum soporosorum.

Divisio

universalis

particularis.

Causae convulsionum.

Signa imminentium convulsionum.

Prognosis convulsionum.

Cura.

COMA FEBRILE.

Causae comatis.

Praesagia Hippocratica.

Causae.

Cura.

PERVIGILIUM FEBRILE.

Causae pervigilii.

Praesagia.

Cura.

SUDOR FEBRILIS.

Causae sudoris.
Prognosis.
Cura.

DIARRHAEA FEBRILIS.

Diversitas materiae, quae excernitur.
Loca varia corporis, unde haec materia prodit.
Causae hanc materiam ad intestina trahentes.
Effectus diarrhaeae.
Cura.

STATUS NERVOSUS FEBRILIS.

Causae status nervosi.
Cura.
Historia febris morbillosae cum statu nervoso conjunctae.

EXANTHEMATA FEBRILIA.

Notio.
Origo.

a) ex primarum viarum consensu,
b) ex morboso humorum statu, ac deposito ex istis in cutim acri,
c) ex cutis ipsius vitio,
d) ex peculiari contagio.

MILIARIA.

Miliarium antiquitates.
Divisio.
Sedes.
Signa praenuncia.
Cura.
Morbi posthumi.

PETECHIAE.

Antiquitas.
Divisio.
Causae.
Cura.
Febris petechialis stationaria annorum 1692—94 a *Ramazzini* descripta.

ERYSIPELAS.

Divisio erysipelatis.
Sedes.
Prognosis.
Causae.
Methodus medendi.
Observationes.

APHTHAE.

Antiquitates.
Aphtharum cum miliaribus affinitas.
Divisio.
Prognosis.
Medela.

FEBRES SPORADICAE ET SINGULARES.

FEBRIS LACTEA.

Causa febris lacteae.
Decursus.
Depositiones lacteae.
Cura.

FEBRIS PUERPERARUM.

Variae auctorum opiniones de causa febris puerperarum.

Suppressio et retentio lochiorum.
Inflammatio intestinorum et omenti.
— — — uteri.
— — — peritonaei.
Metastasis lactea.
Colluvies putrida.

FEBRIS LENTA HECTICA.

Character febrium lentarum.
Stadia febris lentae.
Praecipua febrium lentarum symptomata.

Decursus.
Pulsus.
Calor.
Excreta.
Appetentia.
Sitis.
Respiratio.
Animi pathemata.
Habitus corporis.

Causa febrium lentarum.

I. Classis. Causa varia irritans *assidue* applicata.

II.

II. Classis. Quae liquide coagulant, solida constringunt.

III. Classis. Obstructiones viscerum.

IV. Classis. Diuturna et valida nervorum irritatio.

V. Classis. Humorum jactura.

VI. Classis. Febres acutae imperfecte judicatae, male sanatae.

Prognosis.

Regulae pro curanda febre lenta, et methodus medendi:

Methodus antiphlogista.

Diluentia.

Solventia.

Eccoprotica.

Ulcera artificialia.

Demulcentia, involventia.

Lac.

Illius contraindicantia.

Subjecta.

Causae morbi.

Symptomata.

Cautelae.

PHTHI-

PHTHISIS PULMONALIS.

Triplex causarum classis.

I. Haereditaria dispositio.

II. Viscerum chylopoiesi inservientium, et pulmonum debilitas.

III. Morbosa viscerum abdominalium conditio.

Causae excitantes haemoptysin.

Evacuationes suppressae.

Violentia pulmonibus illata.

Acrimoniae in sanguine oberrantes.

Methodus medendi.

Nutriens.

Antiphlogistica.

Resolvens.

Evacuans.

Balsamica.

Roborans.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Eyerel, Joseph, 1745-1821

Commentaria in Maximiliani Stollii aphorismos de cognoscendis et curandis Febribus

Bd.: 6.

Vindobonae 1793

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- Med 1138 -6
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11268419-1
VD18 80178367-001